



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Lucae Pinelli Societatis Jesu Theologi, De
Perfectione Religiosa, Et Obligatione, Qvam Qvisqve
Religiosus ad eam consequendam habet. Libri Quatvor**

Pinelli, Luca

Mogvntiae, 1604

Liber Secvndvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46699)



LIBER SECVNDVS.

De Perfectione Religiosa.

In quo agitur de tribus religionis Votis, eorumque perfecta obseruatione.

Ac primo,

De tribus Votis generatim.

CAPVT I.

De nobilitate & excellentia trium Votorum, quæ fiunt à Religiosis.



IL I, quando res aliqua licet magni pretij non est cognita & explorata, non magni æstimatur, quia ignorantia caligine obscuratur eius excellentia, & existimatio debita adimitur. Atq; ea causa est, quòd à quibusdam, etiam religiosis non tanti fiant tria Vota, quæ in religione emittuntur, nempe, quia perspectam minimè habent eorum dignitatem & utilitatem. Non est immunis à culpa, qui non cognoscit, quod potest &

65 debet

debet ratione sui status cognoscere. Scias ergo fili, horum votorum excellentiam esse opinionem multorum maiorem, nec exigui momenti. Voti autem nomine intelligitur obligatio à religioso facta Deo Creatori suo, de præstando aliquo bono meliori, Quæ obligatio cum sit nobilissima, spiritalis & diuina, iure ab vnoquoque religioso studiosè debet expendi, reuerenter honorari, & accuratè obseruari.

Quo d sit nobilissima, indè clarissimè liquet, quia ea se obligat voluntas nostra, quæ inter animæ facultates principatum tenet, aliisque omnibus potentiis imperat. Deinde nobilissima est, quia fit Deo, cuius maiestas est infinita, & qui omnis veræ nobilitatis auctor est. Adhæc, quia ob finem nobilissimum, nempe diuini numinis gloriam, quæ hoc magis amplificatur, quò obligatio illa diligentius obseruatur. Accedit quod inter omnes morales virtutes nobilitate & præstantia emineat religionis virtus: cum ergo votum sit illius præstantissimæ virtutis, quæ alias omnes suo splendore colustrat, actus, perspicuè sequitur & votum esse virtutem nobilissimam. Qualis enim est arbor, tales & eius fructus.

Quod autem hæc obligatio sit spiritalis
& sap-

& sancta, dubium non est, tum quia ad bonum spirituale, nempe animæ sanctitatem dirigitur, tum quia principium est vitæ spiritualis religiosorum. Vnde quemadmodum vita corporalis pendet ex corde, tanquam à principio, sic vita religiosa, & esse religiosum pendet ab hac sancta obligatione. Et sicut minima cordis læsione, corporalis vita magnum capit detrimentum, ac sublato corde tollitur & vita; sic minimo quoque lapsu in huius obligationis obseruatione, religiosa vita magnam facit detrimentum, atq; eadem sublata, omne esse religiosum tollitur. Malum quod cordi vicinius est, hoc est periculosius.

Quod verò sit diuina hæc obligatio, etiã certum est, quia est à Spiritu sancto, qui mentem hominis diuino suo impulsu mouet ad talem obligationem faciendam. Deinde, quia persona cui fit diuina est, nempe ipse DEVS. Videat nunc religiosus, quanto eam amore prosequi debeat, quanta reuerentia custodire, quanta pietate studioque obseruare in omnibus quibus potest: quãdoquidẽ facta est ab eo, qui ad intimos cordis recessus penetrat, & probè nouit, quis iustam causam eã obseruandi habeat, & quis non.

Cæterum iam optarim cognoscere ab iis quibus maiestiam aliquam affert, quod tam nobili sanctoq;

vinculo sint illigati, quæ causa sit, quod in tanto honore & veneratione sint apud seculares? Dicent fortassè, quoniam sunt religiosi, & serui mei. At, quid eos fecit religiosos, meosque seruos, nisi tria hæc vota multi seculares hodiè degunt in mûdo, longè religiosis multis doctiores, sanctiores, & perfectiores, & tamen in tanta veneratione non sunt, quanta religiosi. Causa est, quia non sunt sanctis votorum vinculis mihi alligati. Seculares, dum cernunt religiosos, circumspiciunt eos, tanquam totos meos, & ternis votis mihi consecratos, & quem honorem illis deferunt, arbitrantur se deferre mihi. Quod certè non faciunt hominibus in seculo constitutis, etiam magna virtute ornatis. Itaque huiusmodi vinculis astrictum esse, non est res vilis, sed honoratissima & nobilissima, etiam apud mundum, nam & à magnis Dominis religiosi in tanto honore habentur.

SUNT etiam hæc tria vota idèd maximi ponderis, quia efficiunt, vt religiosi gloriosam referant victoriam de tribus capitalibus suis hostibus. Nam dum paupertatem exercent, contra vanitatem mundi; dum castitatem, contra insultus carnis, dum obedientiam, contra calidi dæmonis fraudes,

des, facile victores euadunt Verum ij religiosi, qui hoc armorum genere non vtuntur, turpiter sæpè vincuntur. Non fiat miles, qui arma capescere non vult, non vadat ad prælium, qui pugnare non vult.

A G B dic nunc fili, quid mereantur ij religiosi, qui parui faciunt tam sanctam, tamque salutarem obligationem, & quid illi, qui eam non seruant, cum possint, & debeant obseruare? Quæ pœna eos manet, qui eam non modo violant, sed etiam aspernantur? O quam strictam reddituri sunt rationem non solum suarum transgressionum, verum & alienarum, hoc est, eorum qui peruerso exemplo ipsorum inducti fuerunt, vt votorum fœdera semel cum DEO pacta, violarent. Nec enim promissio per vota hominibus facta est, sed diuinæ maiestati. non facta est inuitus, sed sponte & voluntariè Nec obligatio illius est, de re exigua & temporali, sed de re magna ac spirituali, de salute, inquam, animæ æterna. Qui parui facit, quæ Deo semel promisit, vicissim parui fiet à Deo.

De Vtilitate quam vota conciliant religiosi.

CAPVT II.

Domini

DOMINE tantoperè grauata est natura nostra miseriarum suarum pondere, vt haud sciam, an admodum fructuosum sit & salutare obstringere se Votis; neq; enim aliud esse hoc videtur, quam pondus addere ponderi, vndè non parum metuendum ne illa tandem, vt est imbecilla, sub onere concidat. Deinde tot obligationes vel vincula præceptorum, partim à te, partim ab Ecclesia tua nobis iniecta sunt, vt non facilè possimus iis facere satis, itaque non videtur vt nouis votorum vinculis nos irretiamus. Nec utilitas tanta à te in nos redundare videtur votorum beneficio, quin maius se offerat periculum præuaricandi. Addo deindè Domine, tibi gratiora esse libera & voluntaria pietatis officia, quàm coacta. Quisquis autem votum ediderit compellitur stare promissis & idcirco non video quanta sit Votorum utilitas.

FALLERIS fili, Vota enim onera sunt, quæ non grauant, sed potiùs alleviant, ipsamque naturam iuuant ad præstantiora quæque opera exercenda. Et alæ auium onus quoddam habent, & tamen eas iuuant, vt in sublime ferantur, imò citra illas attollere se in altum non possunt. Adhæc experientia

rientia demonstrat, religiosos esse eos, qui diuinis mandatis promptissimè exactissimèque obsequuntur; vnde apparet Votorum beneficio nos iuari ad præcepta DEI & Ecclesiæ perfectiùs obseruanda.

TOTO quoque celo erras, si censeas ex votis vtilitatem aliquam in me deriuari, non est ita. non mihi feritur hîc neque meretur. promissiones hominibus factæ, cedunt in vtilitatem eorum quibus fiunt, ac Votorum quæ Deo fiunt meritum cedit in vtilitatem vouentis. Imò honor & gloria, quæ ex votis in me, cultumque diuinum resultant, cedit quoque in bonum vouentium. Ea enim copiosè remunerò, sicut mala opera, quæ pietatem cultumque diuinum dehonestant, seuerè castigo.

QVOD deindè dicis votis eripi omnem libertatem, vt necessariò omnia religiosi agant, ac proindè nullum habeant operum suorum meritum, falleris. Nam duplex est necessitas. altera profecta à natura, & hæc tollit omnem libertatem, meritum, & omnium bonorum operum laudem, cuiusmodi est descensus lapidis in terrâ. Altera profecta est à volûtate, vel à promissioe
volun-

Voluntariè facta, & hæc non solum non eripit meritum boni operis, sed plurimum adauget, eò quod tam opus, quam promissio sit voluntaria & libera. Atque hæc est necessitas tantopere laudata à beatis in cælo, quia eos ad præstantiora & perfectiora opera exercenda impulit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.

DEINDE scire te oportet fili, tristitiam & difficultatem, quam nonnunquam in promissione Voti exequenda sentimus, non tollere, nec imminuere in religiosis meritum, sed potius augere: nam in adimplendo voto, non solum fit opus bonum, sed etiã tristitia illa & difficultas vincitur, quod certè non est parui meriti. Quanquam explere opus bonum voto promissum, etiam si nulla interueniat difficultas, magis meritorium sit, quàm idem explere nullo antegresso voto, nam vt paulò post dicam, ipsum votum est alicuius meriti, quo merito destituitur, qui præstat opus bonum, quod ante se facturum nullo voto promisit.

IAM & aliæ sunt utilitates, quas vota afferunt religiosis. Primò enim indubitarum est, arborem, quò altius radices humi fixerit, hoc meliores producere fructus: sic voluntas humana, quò plus firmata fuerit in bono

bono hoc præstantiora opera producit. Inter effectus autem Votorum vnus est, quod voluntatem in bono opere reddant firmiorem. Nemo ignorat, quàm voluntas humana varia sit & mutabilis. nunc vult, nunc non vult, quod hodiè placet, cras displicet. Nec dubium melius fore, si voluntas in bono complectendo firma esset & stabilis. Hoc autem, vt stabilis sit & inuariabilis beneficio Votorum efficitur. Nam simulatq; aliquis votum ediderit, præstare debet: & citra peccatum pedem referre non potest. Quod autem referre non possit, vtile est & salutare, atque ex Voti natura profectum. Atque hinc sequitur opus bonum ex voluntate, in bono firmata ortum, esse præstantius aliis bonis operibus, & amplioris præmij meritorium: haud secus, quàm opus prauum & noxium à voluntate peruersa & obstinata profectum, detestabilius est cæteris malis operibus, & grauioris pœnæ meritorium. Vis phreneticum nihil mali committere? quamprimùm eum vinculis astringe.

ALTERA utilitas superiore non inferior est hæc. Omnes homines haud grauatim confitentur, vtilissimum homini esse, si Domino vniuersitatis huius sit intimè coniunctus, & deuinctus. At votis id efficitur, dum

H

enim

enim homo per vota se mihi alligat, ego vicissim alligor & coniungor ipsi. Itaque si religiosi his sacris vinculis se alligant mihi, & fiunt mei, quomodo fieri potest, ut ego non me quoque tradam ipsis? ut non præstent eis auxilium, non defendam, non conseruem, tanquam rem mihi carissimam? Non esse sem, qui sum, si creatura me liberalitate superaret. Quare conuenit, & quoniam me fontem gratiæ sibi arctissimè deuinxerunt, ego etiam assiduè illis communicem gratiæ meæ beneficium, donaq; cælestia: tantamque eorum curam geram, ne à demone alia creatura illis damnum aliquod inferri possit. Hoc uiuit religiosus securior, quò Dominus cui coniunctus est, est potentior.

ACCEDIT & alia utilitas, quod bona opera omnia ex voto facta, plus apud Deum promereantur, quàm quæ ex voto non sunt facta. Qui amore mei seruat castitatem, bene facit & meretur: sed qui amore mei votum castitatis facit & seruat, melius facit, & plus meretur. Siquidem prior unam tantum exercet virtutem, nempe continentiam: posterior verò binas, continentiam & religionem, quæ omnium virtutum moralium est præstantissima. Præterea, promittere opus bonum, res bona est. Præstare autem
pro-

mentem eius praua aliqua dispositione infectam, quæ à medico spirituali tollenda est, vt vitæ spiritualis periculum euadatur.

Quam grata & accepta sint Deo tria religiosorum vota.

CAPVT III

FILI, quomodo non possunt non esse mihi grata & iucunda religiosorum vota, cum illa edantur in meum honorem & gloriam? qua ratione mihi cara non sint, cum sint media ad consequendam perfectionem, quam tantoperè ab iis exposco, efficacia? O quantum terrenus aliquis Dominus gloriaretur, si famuli sui aliquam ex huiusmodi promissionibus sibi facerent, sine dubio totus exultaret, etiam si certò non constaret, an seriò & ex corde, an ex amore Domini sui, an proprij commodi causa id fecissent. Et ego, cum certissimè sciam religiosos ex toto pectore vota illa edere, & amore mei tantùm obstringere se ad præstanda bona opera & sancta, non exultabo? non declarabo, quantoperè mihi placeant?

TRIA siquidem mihi in votis maiorem in modum placent. Primùm deuotio, qua vota fiunt. Secundò diligentia, qua obser-

uantur. Tertio, gaudium, quo religiosi ob
 edita vota perfunduntur. Deuotio nascitur
 ex consideratione excellentiæ oblationis,
 quæ in votis fit. Nam religiosus Votorum
 trium beneficio se totum mihi offert in ho-
 locaustum, nulla parte sibi retenta. Quod si
 veteris legis sacrificia, quæ erant taurorum,
 & vitulorum tantoperè mihi placebant,
 quantum mihi placebunt isthæc, quæ reli-
 giosi sponte mihi offerunt? Et tanti feci so-
 lam Abrahami voluntatem, cum paratus *Gen. 22.*
 esset sacrificare mihi suum filium Isaac;
 quanti faciendum mihi sacrificiū est, quod
 religiosus facit de seipso, offerendo mihi
 voluntatem, animam, & pariter corpus?
 Diligentia deindè nascitur ex amore quo
 erga me flagrant. Qui amat, non potest ex-
 pectare, aut ex torpore in aliud tempus dif-
 ferre, quod nouit esse pergratum amato.
 nihil autem in religiosa vita, mihi gratius
 est votorum obseruatione. Gaudium verò
 de factis Votis oritur ex eo, quod perpenda-
 tur, quàm grata mihi fuerit hæc oblatio. O
 quàm grauius delinqueret religiosus, si ex
 re optimè facta, mihi que gratissima mole-
 stiam & dolorem caperet. Non minus est
 delictum dolere de bono opere, quàm gau-
 dere de malo,

H ;

Suns

SUNT & alia, quæ hanc oblationem religiosam mihi gratissimam reddunt, & in magna apud me existimatione ponunt, eò nimirum quod ex sincero erga me amore ortum habeat. Primò enim religiosi his tribus votis, quasi tribus clavis voluntariè se affigunt cruci amore mei, non per tres horas aut dies tantum, sed per totam vitam. Nec solùm crucifigunt corpus clavo pauperratis, & sensum clavo castitatis, sed etiam intellectum propriumque iudicium clavo obedientiæ, obsequendo sententiæ Superioris potiùs, quàm suæ illi contrariæ. Latro, qui me confessus est in cruce, in qua breui tempore pependit, vbi verbum vnum in fauorem meum ad socium elocutus est, tanto erga eum amore sum accensus, vt eodem die illum fecerim paradisi hæredem. Cur ergo non pari amore complectar religiosos, qui ratione votorum suorum amore mei tenentur per omnem vitam permanere in cruce? Quomodo mihi non sit gratissima eorum oblatio, qui ad amplificandam meam gloriam omnibus periculis se obiciunt, vt enuncient Euangelium meum non solùm verbo, sed quod plus est, vitæ exemplo?

ALIA causa, cur oblationem religiosi in-

ter

ter res mihi carissimas reputē, est, quia per
 hæc tria prudens volens mihi largitur, quic-
 quid largiri potest. nam in primis cum se to-
 tum per vota dedat meo cultui & seruitio,
 non solum opera mihi impertit, sed etiam i-
 ipsum operatorem. Nullus certè secularis
 vnquā mihi tantum largitur: agendo enim
 benè, tantum mihi fructus præbet, non ar-
 borem. religiosus verò & fructus & arborē.
 Illud quoque mihi arridet, quod religiosi
 edendo vota sua protestantur se nec ama-
 tuos alium præter me, nec alteri vlli serui-
 tuos præterquam mihi, idq; non ad statum
 tempus, sed in omnem æternitatem. Ad hæc
 religiosi consecrant mihi etiam omne ius
 suum & potestatem aliquid contra votum
 semel emissum faciendi, quod summoperè
 mihi placet. Secularis, exempli causa, qui
 nullo edito Paupertatis voto amore mei o-
 pibus suis renunciat, non dubium est, quin
 benè faciat, tamen reseruat sibi ius earundē
 iterum congerendarū, cum collibuerit. At
 religiosus facto Paupertatis voto, non solū
 opibus, sed etiam potestati accumulandarū
 de cetero opū, omniq; proprietati renūciat.

TERTIVM quod in votiua obligatione
 mihi placet, est hoc, quod religiosi per illam
 non solum donent totum, sed etiā optimo

H 4 & per-

& perfectissimo modo donent, hoc est, ut tale imperium & ius obtineam in ipsos, ut possim eorum opera uti, quacunque in re, quando, vbi, & quantum voluero. Et hinc est, quod religiosus, non debeat seipso uti, tanquam re sua, sed tanquam mea, & mihi consecrata. Nec debet uti suo iudicio vbi, & quomodo libet, sed ad arbitrium meum, quia ego sum Dominus ipse, & non ipse. Quare scias religiose fili, graue sacrilegium commissurum, qui aut mihi eripere quod per vota iam ante mihi fuisset consecratum & traditum, aut pro suo arbitrio illud vsurpare vellet. Quantò minus habes, & minus facis pro arbitrio tuo, tanto minus aberrabis, & minus apud Deum rationem es redditurus.

QVARTA & postrema causa, cur religiosorum vota maximè probem, est, quia, cum mundus, uti animarum defraudator, mihi sit exosus, vehementer gaudeo, si eius imposturæ & vanitates detegantur. Cum ergò vota religiosorum è diametro pugnet cum mundo; eorum enim vi, opes omnes, voluptates, honores, aliæque seculi vanitates respuuntur, non possunt non esse mihi gratissima & acceptissima. Cæterùm attende fili, hunc mundi contemptum, non esse

tantum declarandum specie externa, vel verbis tantum, sed factis & operibus, & idcirco non satis est vota edidisse, sed necessario oportet re ipsa ea obseruare. Denunciare se contrarium inimico bonum est, sed vincere eundem melius. Dum religiosus facit vota denunciat se mundo contrarium, sed quando præstat promissionem in votis factam, vincit mundum.

Quam conueniens sit, vt religiosi se obstringant Deo tribus votis.

CAPVT IV.

FILI, admodum conueniens est, religiosum instructum esse trium virtutum armis, quæ per vota promisit, nempe paupertate, castitate & obedientia. Quando miles studet imitari suum Ducem, iisdemq; cum eo se armis communire, vt fortiter pro Ducis arbitrio manum cum hoste conferat, laude & remuneratione dignus est. Ego sum vniuersæ militiæ religiosæ dux & Imperator, qui his tribus virtutibus armatur antecessi, omnibusq; mei imitatoribus modum conflagendi demonstraui. His armis vici inimicos & triumphum de victis egi. Quocirca conuenit, religiosos, qui sub meo ve-

H 5

xillo

xillo merent, & eosdem mecum oppugnaturi sunt hostes, eadem arma capescere, quibus si quemadmodum oportet, vsi fuerint, victoria minimè dubia potientur. Miles, qui conatur suū imitari ducem, etiā si eius robur non assequatur, tamen præmio dignus est.

CONGRUIT etiam, vt religiosus omnia abiiciat, quæ profectum spiritualem possent retardare. Tria scholari facienda sunt, vt in disciplinis humanis progressum faciat. Primò enim debet omnia studiorum obstacula remouere, vt sunt voluptates carnis. Deindè, quicquid potest impedire verum in studiis progressum, vt bonorū temporaliū sollicitudinem. Tertio, eligere mediū efficax ad capiendā Magistri doctrinā, quod est Magistro, legibusq; scholasticis sedulò parere. Hæc tria impedimenta & religiosi Votorum suorū beneficio remouēt. Nam voto castitatis rescindunt omnes carnales illecebras Paupertatis, curam rerum temporalium. Obedientiæ verò, obsequuntur omnibus Ordinis sui legibus, & Superiorū mandatis. In via spirituali tollere impedimenta est ambulare & progredi in spiritu.

FILI, quia certum & fixum apud te est, mundo, omnibusq; eius vanitatibus renuntiare, conuenit vt renunties perfectiori, quo fieri

fieri potest, modo. Quidam deserunt illum affectu, ut sunt illi, qui nullo vanitatum desiderio tanguntur, & faciunt benè. Alij deserunt re ipsa, uti sunt, qui religiosum statum ineunt, & hi faciunt meliùs. Alij præterea utroq; modo deserunt, & hi perfectissimè illi renuntiant; atq; hoc ipsum faciunt mei religiosi, quando Paupertatem, Castitatem & Obedientiã vouët. Inimicus quò longius à te abest, hoc minus tibi nocere potest.

MUNDVS tribus vititur retibus, quibus multi sunt irretiti & capti. Primum textum est ex auro & argento, hoc est, diuitiis terrenis; quod quia oblectat aspectum, amatur ab iis qui eo continentur, & ab iis, qui foris sunt, desideratur. Hoc rete euadunt religiosi per votum Paupertatis, Paupertas enim sublato ab oculis concupiscentiæ velo facit, ut rete licet ex auro argentoque consutum sit, nihil aliud videatur quam rete, & prædurus carcer. Alterum rete confectum est ex visco voluptatum carnis, quò qui capti sunt, quantò plus se commouent, tanto magis inuoluuntur. Ab hoc reti liberantur religiosi per votum castitatis, cuius puris candidisq; alis subleuantur in altum, & illecebrarum carnalium glutino exempti, similes angelis efficiuntur. Tertium rete
potiùs

potius imaginariū & phantasticum, quàm solidum est, quo capiuntur, qui de seipsis præsumunt, vanosque huius mundi honores & existimationem aucupantur. Hoc re- te effugiūt religiosi per votum Obedientiæ, quo vti subiiciunt se aliis, ita non cogitant nisi de humilitate & suiipsius contemptu amplectendo. Degere in mundo, & in aliquod rete incidisse, magnum non est, at versari in religione, & in mundi casses incidisse, res est omni lacrymarum fonte plangenda.

IAM verò & alia de causa congruens est, vt religiosi tria dicta vota edant, nempe quia ego eos delegi & vocavi ex mundo, ad patranda eximia & heroica aliqua facinorosa: quocirca & opus est, vt animo sint generoso & forti, eumque rebus gestis declarent. atque idem exposcit sublimitas religioſi status, in quo eos collocaui. Ad dictū esse bonis his caducis & fluxis, animi vilis est & abiecti similiter deditum esse carnis illecebris, beluinum potius est, quàm humanum. Conuenit ergò religiosos longissimè ab vtraque vilitate abesse; quod certè faciunt per Vota, & dum generosum suum animum demonstrant, cauendo per virtutem, ad quod natura, sensusq; omnes incli-

MAAT.

nant. Verum Domine non video, quæ generositas per obedientiæ votum declaretur, quo religiosi omninò se subiiciunt aliis? Sed nec satis capio, quemadmodum vile sit addictum esse opibus & voluptatibus huius vitæ, & non sit etiam vile obedire alteri & seruire etiam in rebus abiectissimis?

FILII, facilè ostendis te neque intelligere, neque ad iustam libram res expendere. Si enim tu arbitreris religiosos per obedientiæ votum aliis, quàm mihi subiectos, vehementer falleris. Et si putes, amore mei seruire in rebus humilibus, vel subesse aliis ex mea ordinatione, sit res abiecta, multò amplius falleris. In aula mea longè alia est viuendi ratio, quàm in mundo, vbi dignitas sumitur ex officio quod exercetur, & non ex fine & scopo qui spectatur, & ideo omnes quærunt potius imperare aliis, quàm subesse, omnes anhelant ad dignitates & honores. Et quia hæc in magno precio sunt apud homines, idcirco & illi qui illas dignitates gerunt, in magna sunt existimatione, & pro viris magnis habentur. Sed longè aliter res se habet. Si enim finis, ob quem aliquid agitur, sit vilis & abiectus, actiones quoque necesse est abiectas esse. Cum ergò mundi amatores

omnia

omnia sua faciunt propter finem obiectum,
 vt ob pecuniæ quæstum, existimationem
 nominis, vanam gloriam, vindictam, & alia
 id genus consequens est eorum labores &
 actiones quoq; esse infimo loco habendas
 In mea verò aula oculus præcipuè in finem,
 qui sum ego, conicitur, & a me omnes hu-
 manæ actiones mutuuntur suam dignita-
 tem & valorem. Cumque ego omnes actio-
 nes à religiosis amicis meis & filiis amore
 mei factas, remunerem æterna gloria, nul-
 la debet vel parua vel abiecta æstimari, sed
 magna & præclara. Qui verò amore mei
 se alteri subiicit, luculentum argumentum
 præbet animi generosi & magni, quia vt
 mihi, suo Domino gratum faciat, omnem
 lapidem mouet. Itaque fili mi, non debes
 æstimare vile, quod amore mei, & ad glo-
 riam meam fit, quia habenda ratio est,
 non tam rei, quam affectus & finis propter
 quem illa fit. Vile non est, quod in cælum
 vsq; penetrat, & caelesti mercede com-
 pensatur. Verè autem vile est,
 quod humi hæret, & pre-
 cio terreno com-
 pensatur.

Quo

*Quo sensu religiosa perfectio consistat in
tribus votis.*

CAPVT V.

DOMINE, si perfectio religiosa sita est in caritate perfecta, & coniunctione cum summo bono, hoc est, tecum, quid necesse est nos occupari in aliis virtutibus, & secessionem facere ab ea, quæ est finis noster? Nosti, Domine, caritatem esse omnium virtutum reginam, & ab ea totam gratiæ legem pendere; itaque si ad eam comparandam omnes curas studiaque conferamus, nihil est quod magnoperè de aliis virtutibus laboremus. Sola illa si adsit, nihil deesse potest. Verum est, fili, perfectionis religiosæ finem & scopum esse perfectam caritatem, & vnionem mecum tuo creatore, sed quomodo tu poteris consequi finem sine debitis mediis? Quomodo vis vniri mecum, nisi remoueas ea omnia, quæ te impediunt?

NORIS itaque ad intimam illam cum Creatore tuo, id est, mecum vnionē, in qua consistit perfecta caritas, perueniri internis affectionibus mentis, cum spiritu religionis, ad quam à me vocatus es, consentientibus. Tria autem affectum humanum impe-

impe-

impedire queunt, quo minus mihi coniungatur. Primum est cupiditas opum, aliorumque bonorum fortunæ, quæ ubi humani cordis partem inuaserit, non sinit totum hominem ad me conuolare. Vndè adole-

Mat. 19. scens, cui ego dixi, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ haberet, daretque pauperibus, & tunc veniens me sequeretur, tristis abscessit, quia plus æquo addictus erat possessionibus, quas multas habebat. Hic affectus tollitur voto Paupertatis, quo religiosus renunciat omnibus quæ in mundo possidet, vt toto affectu, animique sensu cum Domino suo se vnire possit. Alterum impedimentum est, amor voluptatum carnalium, quæ hominem excæcant, quo minus aspirare possit ad mei vnionem, quæ fit

Luc. 14. per amorem spiritualem. Vndè in parabola Evangelica quidam ad nuptias inuitatus, respondit se non posse venire, eò quod uxorem duxisset. Hic amor carnalis prorsus tollitur Voto Castitatis. Tertiùm, quod plus impedit, sed minus agnoscitur, est voluntatis humanæ inordinatio, quæ vt ad imperandum aliis propensa est, ita ægrè se submittit voluntati alienæ. Atque hæc inordinatio eiusmodi est, vt hominem à me diuel-

Mat. 16. lat, & idcirco in Euangelio dixi, Qui vult
veni-

venire post me, abneget semetipsum, id est, propriam voluntatem, & renunciet quasi sibiipsum. Nec aliud est vniri mihi, quam seipsum deserere, & totum se mihi dedere. Frustra laborat vnire se mihi, qui non prius à seipso discesserit. Hoc tertium impedimentum tollitur Voto obedientiæ, cuius beneficio religiosus se aliis subiiciendo, finit se secundum voluntatem meam gubernari. Cum igitur perfectio religiosa consistat in perfecta caritate, & intima mecum vnione, Vota verò sint media ad illam obtinendam, eiusque impedimenta remouenda, destinata, meritò dicitur in tribus votis perfectionem religiosam sitam esse.

AD HÆC cum tria vota sint religiosæ vitæ fundamenta, conuenienter etiam dicitur perfectionem huius pendere ab illis, sicut ædificiorum materialium perfectio pendet a suis fundamentis. Tria autem necessaria sunt in fundamentis. Vnum est, vt in ædificiis eorum cura in primis habeatur. quò enim firmiora erunt fundamenta, hoc ædificium erit firmitus & stabilius. Alterum est, vt conferuentur intacta & immota. Nam ex minima eorum commotione, maximæ sequuntur rimæ in muris. Tertium est, quod ædificium non retinet nomen ædificij,

ficij, vel domus, si fundamentum absit, sed appellatur casa vel tugurium, in quod ab illis solent fordes. Cum ergò tria vota sint religionis fundamenta, hæc tria quoque in illis obseruari debent. Ac primò quidem, in religioso prima cura incumbat de votis, et quod ab illis vita & essentia religiosi hominis dependeat. Si vota firma & immota constituerint, totum quoque ædificium spirituale religiosi immotum perstabit. Secundò, vt vota conseruet intacta & inuiolata nam minimus in votis lapsus, notabilem interturam in disciplina religiosa facit. Denique vt sublato fundamento domus nomen non retinet, ita sublatis votis religiosus non religiosus amplius, sed apostata dicitur, qui semel è suo statu delapsus facile huius mundi sordibus inquinatur. Quando radices, quæ sunt quasi fundamenta arborum læduntur, facile exarescunt arbores, aut parum valent.

PRÆTEREA, constat religionem esse statum, & locum quietis animi, in quo homo liber à fluctibus, tempestatibusq; seculi periculosis, tanquam in tranquillo & secureo portu requiescit, ac vitam spiritalem & tranquillâ ducit. At hoc religio maximè consequitur Votorum præsidio, quæ fouent

& tu-

& tuentur religiosam tranquillitatem, liberando à curis & molestiis huius mundi sollicitudinibus. Ob quam etiam causam dicitur tribus votis perfectionem religiosam contineri. Primum igitur votum Paupertatis efficit, vt religiosus sit solutus cura bonorum, temporalium aut conseruandorū, aut augendorum, aut etiam dispensandorū. Votum deinde Castitatis eximit eundem à sollicitudine rei familiaris, vt vxoris, liberorum, & familiæ. quæ tam grauis crebrò est, & permolesta, vt multos adducat in desperationem. Denique Voto Obedientiæ religioso adimitur anxietas, qua plerique hominum torqueri solent, dum statuere secū non valent, hocnè vel illud aggredi debeant, vtum conducibilius sit hanc vel illam rationem viuendi tenere. At religiosus, qui per votum obedientiæ se in omnibus, & per omnia totum arbitrio Superiorum dirigendum commisit, à superuacaneis huiusmodi angoribus & dubiis liberrimus est. Fili, tranquillitas animi tibi commendatissima esse debet, quia inde pendet tua salus. Vbi perturbatio est, & inquietudo, non potest esse spiritus, nec deuotio. Et scias, quādiu in religione vota tua seruaueris, te in pace & quiete religiosa vicissim ab iis seruatum iri,

Ad extremum perfectio religiosa ideo est attributa Votis, quod perficiat holocaustum, quod religiosi de seipsis Deo offerunt. In veteri lege holocaustum totum igne consumebatur in odorem suauitatis, & citò abfoluebatur eius oblatio. At holocaustum religiosi perdurat in omnem vitam, & quod propius à fine abest, hoc suauiore odore reddit. Atque ideo mihi fit votum perpetuæ paupertatis, perpetuæ castitatis, & perpetuæ obedientiæ. In holocausto paupertatis mihi offeruntur omnia bona temporalia, In Castitatis, bona corporis. In Obedientiæ, bona animi. hoc enim ipso quod mihi offerant voluntas, vna quoque offeruntur omnes potentia & facultates eius imperio subiecta. Cumque nihil aliud offerendum restet, merito per vota integrum perfectumque offeratur holocaustum. Status Virginalis in se perfectus est, & mihi pergratus: sed status religiosus multò perfectior est, mihique gratior, quia Virgines amore mei tantum se priuant voluptatibus carnis: at religiosi etiam propria voluntate, ac mihi donant quicquid habent. Non parum dat, qui donat quicquid habet, nec recipiet parum in cælo, qui remunerationis loco recipiet me ipsum.

Iam verò iudicent omnes, velim, quanti fieri

fieri debeant religionis vota, quandoquidem sunt religiosæ vitæ fundamenta, sunt conseruatores tranquillitatis animi tanto perè ab hominibus desideratæ, sunt efficacissima media ad consequendam perfectionem, & ad offerendum perfectum Creatori sacrificium. Miles magni facit equum, & arma, quorum beneficio tueri potest temporalem vitam & victoriam referre ab inimicis. Et religiosus nullo in precio habebit Vota, quorum opera conseruat vitam spiritualem? victoriamque obtinet non solum contra inimicos suos, sed etiam contra seipsum? O quantus erit horum trium Votorum fulgor in cælo, quando trium preciosarum gemmarum instar collocabuntur in corona gloriæ? Si enim nunc eadem quasi oblectæ & absconditæ nunc in terra tamen tantum reddunt splendorem, vt huius mundi Dominis sint admirationi, quantus earum splendor erit in cælo, vbi omnia patebunt? Non dubium est, ingentem fore lætitiã & pacem eorum qui has gemas secum in cælum translulerint, sicut contra magnus erit dolor & confusio eorum, qui eas, dum viuunt, non eo loco habuerunt, quo debuerunt. Si tu flocci facis eas, quæ te ad magnam honoris fastigiũ euehere possunt, quid tandem magnificies?

De perfecta votorum obseruatione.

CAPVT VI.

FILI, in mundo magna habetur ratio honoris proprij, & existimationis familiae, & idcirco tot regnant odia & inimicitiae, multae caedes fiunt, ad inopiam familiae rediguntur, ac quod deterius est, multarum animarum fit iactura. Ac totum hoc malum non aliunde nascitur, quam quod omnem operam nauent, stultis mundi legibus praestandis, ad quas tamen praestandas Christiani neque obligantur, neque voto vlllo obstricti sunt, imò contrariis meis legibus sua comminatione poenae aeternae absterrentur? Quod si seculares homines cum tanto fortunarum, vitae, & salutis discrimine legibus tam perniciosis studiosè obsequuntur, certè maiori studio & accuratione religiosus obsequi debet Votorum legibus, quae sunt edicta spiritus sancti, ad salutem animae & gloriam meam attinentia. Certè qui mundi, hostis sui decreta anteponit Dei Creatoris sui decretis, pugnat contra seipsum. Fili verum est, à mundo vilem & ueracordem eum hominem reputari, qui non utitur lege vindicandae iniuriae. At si amore mei iniuriam condonet, apud me omnesque

virtu-

virtute præditos censetur magnanimus, & prudens, quia vincit seipsum. & legem Dei pluris facit quam mundi. Verum, qui in religione præuaricatur vota sua, a mundo contemnitur, religiosi censetur infamis, ab aliis omnibus hominibus damnatur vt ingratus, eò quod beneficio votorum ad sublimem statum, nempe religionis, erat prouectus, & per eadem multis donis & charismatis spiritualibus locupletatus. Et quis non videat, violare vota, non esse aliud, quam promissis non stare, obligationique suæ non facere satis? Quis non aduertit, perinde esse, ac benefactorem suum & promotorem aspernari? Quamobrem non debet aspera tibi videri sententia, quam in Euangelio contra illos pronunciaui, quando dixi, non esse aptum regno Dei, qui manu semel aratro admota retrò respexisset. In caelo non coronantur incipientes, sed in bono vsque ad mortem perseverantes.

Luc. 9.

In Scripturis meis quoque dicitur Deo plurimum displicere promissionem infidelè, & rectè. Nam qui fidem non seruat in præstandis promissis per votum factis, proximè eo progreditur vt religionem vili pendat, ac proindè & ipsa vilipendatur, si retineat homines qui suo muneri non faciunt satis.

Eccl. 5.

Nec enim paruum in animis secularium oritur offendiculum, si notent religiosos, deficiere in præcipuis quibusque capitibus, in quibus vertitur summa religionis. Mihi quoque non minimum dedecus accedit, nam cum ego sponfiones per vota factas probarem, si non ut conuenit, præstentur, iniuria quadantinus afficior ab iis, quos tantoperè dilexi, & omni beneuolentia sum completus. Maximum adhæc damnum accedit ipsius transgressoribus, quia in apertum se coniciunt discrimen, apostatandi, & in laqueos dæmonis se totos induendi. Quid verò mirum, si nonnunquam etiam in hac vita, meæ indignationis arcum in illos intendo? Qui potest se ære alieno liberare, & non liberet, fallit, nec venia, nec commiseratione dignus est. Minus malum, est, vouere, quam votum semel factum retractare.

NON latet dæmonem capitalem perfectionis religiosæ hostem, quantum boni religioso afferat integra Votorum obseruatio, nulla siquidem res citius & securius religiosum ad culmen perfectionis prouehit, quam cupiditatum carnalium mortificatio. Et quid aliud est Vota præstare perfectè, quam seipsum mortificare? Votum Paupertatis mortificat cupiditatem congerenda-

rura

rum opum. Votum Castitatis mortificat illecebras carnis. Obedientiæ verò, facultates animi, voluntatem & iudicium proprium. Atque hæc causa est, cur dæmon tanto perè labore, vt religiosis persuadeat in præuaricatione votorum nullum conscientiaæ scrupulum esse faciendum, non modo vt eos à perfectione consequenda retardet, sed quia fundamentis semel concussis, vel labefactatis, non est illi difficile totam domum euertere. Et malum signum est, quando mali initium datur à parte principali.

O quàm mihi cari sunt illi religiosi, qui varia media remediaq; indagant perueniendi ad perfectam Votorum obseruationem, vt ædificij sui spiritualis fundamenta magis corroborent, tum vt dæmoni grauius bellum indicant. Sunt nonnulli, qui quotidie apud animum suum vota mihi semel facta renouant, & gratiam supplices à me flagitant perfectè illa obseruandi. Quod etiã atque etiã mihi placet, facile enim indicant, quanto desiderio intus flagrent exactè omnes lapsus cauendi, & vota præstandi. Hoc gemino desiderio, integrè nempe satisfaciendi votis, & exposcendi gratiam anima primos quasi passus facit, ad consequendum optata. Crebrò renouare Vota se-

mel facta, non est aliud, quam sapè infigere
clauos, quibus religiosi mecū in cruce sunt
confixi, vt si fortè aliquo modo soluti fuif-
sent, fortius infigantur. Atque hoc medio
religiosi reddūtur in obseruandis votis for-
tiores & constantiores.

SUNT & alij, qui non minus mihi cari
sunt, vt qui tentatione aliqua contra vota
oborta, non disceptant secum, fore tñè ma-
gnus an exiguus lapsus id facere quod ten-
tatio suggerit, possitnè fieri sine peccato le-
thali, nec ne? sed mox simulatq̄. cognoue-
rūt eam votis aduersam repudiant, haud
secus quàm is, in quem fortè scintilla ignis
dilapsa est, non diu expendit, possitnè mul-
tum vel parum exurere, sed ilicò eam vel ex-
cutit, vel opprimit. Qui paruum imperfe-
ctionem contemnit, quàm facillè effugere
poterat, paulatim dissimulat & magnas Au-
di, fili. Nonnè tu edidisti vota tua amore
mei, & vt ea re mihi seruitium præstares?
Nonnè eadem obseruas, vt maiorem bene-
uolentiam apud me concilies? Cum ergò
exploratū tibi sit minimos etiam defectus
contra vota commissos mihi displicere, cur
ab illis non abstines? Si in rebus ad corpus
spectantibus, nullum vitium toleras, nec
paruum, nec magnum, cur in obseruatione

voto-

votorum, qua nihil in regione præstantius est, defectum vllum permittis? Facere aliquid quod mihi displicet, licet exiguum sit, non est Zelosi amaioris, qualem omnem religiosum esse desidero.

EST aliud insuper medium, cuius opera ad exactam votorum obseruationem veniri potest. quo ferè vtuntur Religiosi spiritu ardentes, imitantes eorum mores, qui magna fame vel inedia laborant. Hi enim magno studio quærunt quod manducent, nulloq; discrimine, quicquid offendunt, siue calidum, siue frigidum, siue benè, siue perperam paratū & coctum absumunt. Sic religiosi feruentes magna cupiditate ducuntur ad eas virtutes exercēdas, quas per vota promiserunt, idque tam in paruis, quam in magnis rebus, tam in duris, quam in suauibus & iucundis. Exercitare autem se in votis, crebrisque Paupertatis, Castitatis & obedientiæ actibus se assuefacere, admodum facilem & expeditam reddit Votorum obseruationem. Frequentatio enim actuum comparat religiosos ad acquirendum habitum. Habitus verò natura sua hominem promptum & agilem reddit ad virtutem exercendam, & consequenter ad vota perfectè obseruanda. Exem-
plum

plum perspicuum habemus in arte Musica
nam quo quis in ea frequentius sese exer-
cet, hoc promptius, & peritius cantare con-
suevit.

HINC intelligi potest, quàm grauite
periculoseq; errent, qui nihil pensi habent
leuiter in obseruatione votorum præuaricari;
non animaduertentes essentiam reli-
giosi esse in votis, ea ad animæ salutem per-
tinere, ab eadem omnia bona malauè reli-
gionis, scandalum vel ædificationem, glori-
am item meam, quia sunt promissiones mi-
hi factæ, ac denique trium præcipuarum
virtutum in votis comprehensarum meriti
pendere. Itaque si hîc opus non est cura &
vigilantia, ne officio nostro desimus, haud
scio qua in re opus erit. Et si hoc studium
cordi non sit, non video quid aliud cordi es-
se religioso debeat.

*De tribus votis religiosorum speciatim, &
primo de Voto paupertatis.*

*Quam conueniens sit Religiosos esse aman-
tes Paupertatis.*

CAPVT VII

Fili,

FILI, non cōuenit à seruo repudiari, quod Dominus eius amplexus est. nec decet discipulum alij lectioni ediscendæ operam dare, quàm Magister præscripserit. Ego dū versarer in terris, elegi, cupideq; amplexus sum Paupertatem, hanc docui, & proposui omnibus qui me secuti sunt, & nunc quoq; prorsus eam commendo omnibus qui ad vitæ spiritualis perfectionem aspirant. Tam pauper equidem natus sum, vt ne angulus quidem in domo aliqua repertus fuerit, qui me in mundum proditurum exciperet. Vndè paupercula mater mea coacta fuit secedere in stabulum, vbi & natus sum, ac in præsepio depositus. Natus sum ex matre paupere, pauperum instar sum educatus, inter pauperes conuersatus, pauper vsque ad mortem vixi. In morte verò longè fui pauperior, quia non habui, vbi afflictum caput reclinarem, ac deniq; in duro crucis lecto meam vitam clausi. Videant nunc religiosi, an non conueniat, ipsos ad paupertatem esse affectos, ab ipsis spontè promissam, & à me tantoperè amatam. Videant, num congruat sub tam egenti capite latere membra splendidè ornata. Non meretur famulus manere in domo, qui contentus non est vti eodem victu & amictu, quo Dominus.

Nec

Nec ego duntaxat, sed Apostoli quoque mei fuere paupertatis amatores, qui praeterquam quod essent pauperes piscatores, quando eos e mundo euocaui, etiam modicum illud quod possidebant propter me deseruerunt, intimo pectore paupertatem tanquam fidam comitem complexi. O quantum operè mihi placuit, quando à me vocati nulla interposita mora dereliquerunt parentes, nauem, retia, & quicquid habebant, vel habere in hac vita poterant. Et quamquam hæc Paupertatis actio magna & heroica fuerit, quia dereliquerunt omnia; tamen non hic pedem fixi, sed praeterea uolui eos in eadem paupertate exerceri, uiuendo mecum ex aliorum eleemosynis; unde mihi eos praedicatum per castella, sine sacculo, & pera, nullis rebus necessariis instructos, & spem omnem collocarent in diuina providentia. Religiosus quò minus habet, minorum rerum temporalium tenetur desiderio, hoc ad iuuandas animas aptior est. Quando verò postea eos amandauì praedicandi Euangelij causa per uniuersum mundum, ibant nò onusti sarcinis, aut magno famulorum comitatu stipati, vel certiores reddebant de aduentu suo ciuitates, quas adibat, ut comitatu omnia reperirent instru-

sta?

sta? Non certè. sed ibant pleni Spiritu sancto, doctrinæ meæ sarcina grauidi, & ardenti cupiditate conuertendi ad fidem gentes incensi, instar pauperum ingrediebantur castella & vrbes. In quibus dum essent, me pauperem pro concione annunciando, nudumq; in cruce mortuum, in animis auditorum ingentes motus excitabant. Qui dum animaduernerent Apostolos nec aurū, nec argentum quærere vel recipere, valde admirabantur: cum verò præterea viderent eos tam longinqua per orbem totū itinera suscipere in summa rerū inopia, tantum ad procurandam aliorum salutem, ipsamque inopiam & paupertatē amare, pœnè stupore defixi hærebant: quare & facilius humeros suos Christi iugo subdiderūt. Non benè cohærent ista duo, lucrifacere animas, & simul suis commodis & recreationibus vacare.

Si deinde, fili, te conuertas ad religionis fundatores, comperies eos tãtos fuisse paupertatis amatores, vt passi non sint dari locum Meo & Tuo, existimantes his duobus vocabulis tanquam gladiis è medio tolli omnem vim paupertatis. Et si fortè aliquem deprehendebant proprietariū, eū non secus ac peste infectū exterminabant. Dicant nūc qui tãto perè reformidāt nomē Paupertatis, quo-

quorum sint discipuli & imitatores? Quaedemum regula permittit, vt proprium habeant peculium? Cur accumulandis numeris operam dant, an vt in suum couertant vsum, vel vt aliis relinquunt? Vt vt faciant, non alia de causa opibus coaceruandis student saeculares, quod ergo discrimen inter religiosos & saeculares intercedit? Hoc certe non est per violentiam rapere caelum, sed affligere se ad congerendam terram. Non ita se habet doctrina, quam ego tradidi, nec illi sunt suorum fundatorum & maiorum sectatores, quare cum non eadem cum illis premant vestigia, ad perfectionis, quem illi fixerunt, scopum non collinabunt.

DOMINE, si non subiicias nobis aliquod calcar, quo compellamur amare Paupertatem facile repudiabitur & deseretur, cum enim in speciem ignobilis sit & vilis, miseriaeque proxima, parui estimatur. Fili, hallucinaris plurimum, quia non vteris distinctione. Paupertas coacta, & ex mera necessitate profecta res vilis est, & mundo exosa. Sed Paupertas voluntaria, cum sit virtus sublimis & heroica, quomodo potest esse ignobilis, & parui precij? Si illa suis pedibus calcet omnes margaritas & thesauros mundi, quomodo potest esse misera? Ad

aman-

amandam autem illam, quid magis incitare potest, quam intelligere me Dei filium, & Dominum maiestatis, cum degerem in terra, mihi desponsasse paupertatem, eamque amasse & retinuisse vsque ad mortem? Hoc vnum nonne merito deberet quemlibet religiosum impellere ad eam diligendam, colendamque. In omnibus siquidem aulis is in maiori honore & existimatione est, ad quem Princeps magis afficitur.

Vis autem intelligere fili, quis sit verus amator Paupertatis? Ille, inquã, est, qui plus illa oblectatur & gaudet, qui amplius quam alij, illam laudibus extollit, & desiderat, qui non modo opere, sed ne signo quidem illã cogitat offendere; qui deniq; eam completitur tanquã cæleste margaritũ, quod animam in cõspectu creatoris peruenuitã reddit. O quantũ mihi quondam placebant religiosi, qui tanto amore prosequerentur paupertatẽ, vt omnes huius mundi opes pro quisquiliis & sordibus reputarent, si cum ea conferentur. Atq; vt hanc ardentem erga eã affectionem patefacerent appellabant Paupertatem suam Dominã & reginam & tanquam dominam & reginam eam tractabãt. Neq; id tantũ faciebant in primo cõuersionis seruire, sed quò amplius in diuino

K

serui-

seruitio consenscebant, hoc strictius eam complectebantur & venerabatur Atq; ideo vehementer vrgebāt in extrema mortis hora spiritum suū Deo in nuda humo reddere

E contrario non parū mihi displicet videre nonnullos religiosos tam parum Paupertati addictos, quippe quā vituperari & velut rem abominandam horreant, actis etiam respuant. Quo fit, vt in victu, mictu, & habitatione commodè & lautè vult lint tractari, ac commodiūs quidem, quā ipsi se tractabant in seculo; ac si pro arbitrio non omnia quæ volunt obtineant, conturbantur, & quietem non habent. Quare rō infelicitas ista? Renunciant mundo, & mihi seruiant, abdicant se omnibus diuitiū comoditates negligunt, votum Paupertatis spontè edunt, vt tranquillam vitam semper agant, & postquam ingressi sunt religionem, sinunt se perturbari propter res quas in mundo deseruerunt. Quod non est aliud, quā canere palinodiam, & reuocare votum perpetuæ Paupertatis Quid enim interest, siue in his opibus terrenis, siue recreationibus & commoditatibus superuacaneis? cum vtrumque repugnet religiosæ Paupertati? Plus autem displicet mihi, esse quosdā, qui cum in religione non inueniunt omnium rerum

terum copiam sicut in seculo, respiciunt retrò, & nunc ab hoc seculari, nunc ab illo huiusmodi comoda postulant, & in eorum seruitutem se tradunt. Et si id facere ad usum & utilitatem propriam, malum est, quanto deterius erit eiusmodi exigere à secularibus ut donentur aliis? Fieri non potest, ut religiosus aliquis inueniatur, qui se obstringat secularibus hominibus, ut beneficium conferat in alios? O infamem talis religiosi amentiam, qui tam vili precio tam multis se prostituit. Ex hoc fonte pessimo dimanant magna parte omnes dissolutiones & laxitates, quas prohdolor in quibusdam religionibus oculis cernimus. Væ religioni, cuius religiosi amatores paupertatis non sunt, quia per nimiam morum vitæque licentiam fiunt religionis ruina & excidium.

*De dignitate & laudibus religiosa
paupertatis.*

CAPVT VIII.

FILII, non sine causa in Euangelio meo paupertati principem locum inter beatitudines attribui, & pauperibus regnum cælorum addixi. nam sine perfectione Euangelica impossibile est peruenire ad beatitudinem. Cum ergo paupertas sit primū perfectionis

K 2

Euan-

Euangelicæ fundamentum, iure illi debetur principatus. Qua de causa omnes illos, quos ego vel ad me sequendum inuitavi, vel perfectionis cupidi fuere, si spontè non renuntiabant huius mundi opibus, vel non se voluntariè faciebant pauperes, remissi ad primum fundamentum, vt nimirum prius omnia relinquerent, & deindè me sequerentur. Perfectio non vult homines ligatos, sed liberos & solutos.

DOMINE, si regnum cælorum sit pro pauperibus, copiosissimus erit beatorum numerus, cum in mundo plures sint pauperes, quàm diuites. Verum est fili, regnum cælorum esse pro pauperibus, sed non omnes pauperes sunt pro cælo, at ij tantum qui diligunt esse pauperes, quorum admodum sunt pauci. Nonnulli sunt, qui nihil quidem in hac vita possident, sed tamen animo optarent possidere. cuiusmodi paupertas, non solum non virtus est, & laude digna, sed etiam multos spoliat felicitate æterna, tum quod effrenatam habendi cupiditatem omnium malorum radicem non tollat, tum etiam quod eandem eousque inflammet vt cor humanum profus reddat inquietum. Vnde fit, vt plurimi eorum dedant se latrociniis, & furtis, oesq; de cælo abiiciant cogitationes.

Alij

ALII amplas quidem possident facultates, sed in eas non defigunt affectum, imò parati sunt eas ad meum arbitrium, quoties libuerit, relinquere, cuiusmodi pauperes spiritu perpauci inveniuntur in mundo. Alii denique ut in vera virtute colenda sint liberioribus aspernantur, & deserunt omnes terrenas facultates, non modo cordis affectu, sed etiam operis effectu. Sic fecerunt mei Apostoli, multiq̄ue alij religiosi, qui nunc fruuntur diuitiis cælestibus. Atque hæc est paupertas religiosa, cui addixi regnum cælorum, in quo religiosi omnes illustri gloriæ corona redimentur. Et horum numerus etiam perexiguus est.

Si regnum cælorum pecunia emi posset, aut cum regnis, opibusq̄ terrenis commutari, maxima esset dignitas & excellentia bonorum fortunæ, & quilibet ea tanquam animam suam diligere posset. Hanc excellentiam ego impertij paupertati religiosæ, quæ ex bonis terrenis conficit scalam qua ascendat in cælum. Contra, huius sæculi diuites, ad obtinendum aurum & argentum humum effodiunt, & in ea cor suum, abdicatedo cælo cum bonis cælestibus, sepeliunt. Pauper verò religiosus, quoniam cor suum dirigit in cælum, cælesti remuneratione se

K 3

dignum

dignum præstat. Qualem quisque viam ingressus fuerit, talem & terminū comperiet.

PRÆTEREA religiosus per votū Paupertatis efficitur Superior toto mūdo. Nam cum in hac vita nihil expetat possidere tanquam propriū, à mundo eiusq; rebus nō pender, sed velut superior illo, omnia eius finibus comprehensa, nihili facit. Contra accidit hominib⁹ seculo addictis, qui tot subiecti sūt dominis, quot res sunt, quas habere & possidere desiderāt. Adhæc paupertas religiosa potentia quandam & robur ostendit aduersus ipsā naturā humanā. Hæc enim hominē inclināt ad expetēdas opes & cōmoda corporis, vt ciborū & vestiū lautitias, ludos & recreationes; paupertas autē religiosa hæc omnia ppter se sibi subtrahit, ac pinde naturā vincit. Quomodo autē mihi non possunt non esse in delitiis, q prudentes volētes solo amore mei incēsi cōmodis illis licitis, & ad quę ipsa natura eos inuitabat, expoliāt?

A V D I, fili, & aliam Paupertatis religiosę præstantiam. Si quis piā pauper & inops, industria sua, vel alia ex causa euadat diues, mūd⁹ nihil miratur; miratur autē vehementer, si diues spontē efficiatur pauper, & talis quidē, qui non solūm oēs opes suas abiiciat sed etiam omni facultate eas decetero possi.

possidendi se exuat. ob quam rem hoc magis stupet mundus, quò nihil maiori in precio habet quàm opes terrenas, nihilq; studiosius refugit quàm pauper. atem. Nec aliundè hoc prouenit, quam quia non intelligit religiosæ paupertatis præstantiam & dignitatē. Dicat, quæso, mundus. Possitnè cū omnibus suis diuitiis, & voluptatibus exfatigare cor humanū, vt conquiescat? Non sanè. quia quot quot mundi sectatores sunt, quò plus habēt, hoc amplius habere desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad verā quietem, tranquillitatemq; animi nunquā perueniunt. At religiosus, qui neq; propriū quicquā habet, nec habere desiderat, omni re modica contentus viuit. Nonnè hæc est quædam fælicitatis æternæ participatio, vt homo sicut cum gloria cælesti aliquādo viuet contentus in cælo, sic cū paupertate religiosa quietus & tranquillus nūc degat in terra?

Nec hoc quoque minimum paupertatis religiosæ encomiū est, quod ipsa non solum tuetur & conseruat religiones, verum etiam omnium religionum quotquot fuerunt, vel adhuc sunt in Ecclesia Dei, prima fundatrix extiterit. Sunt quidem pecuniis, & aliis fortunæ bonis erecta & fabricata monasteria & claustra, sed religiones illis nō sunt fundatæ.

Fundatores enim primi, qui opibus abundabant, ut meo cultui & seruitio se addicerent, opes tanquam impedimenta à se remouerunt. Ego autem post bona fundamenta paupertatis spiritus & mortificationis iacta, eis ducibus & antesignanis usus sum, ad attrahendos alios. atque hoc modo fundatae sunt religiones. Diuitiis fabricantur lapides & ligna, sed paupertate spiritus fabricantur virtutes.

CÆTERVM esto, nulla sit Paupertatis vel laus, vel excellentia; an non sat dignitatis ei accedit, quod à me sit amata, & in honore habita? quod toto vitæ meæ decursu mihi comes extiterit gratissima, quod eius opera in conuersione mundi sim usus, non mittendo locupletes & sapientes, sed pauperes & rudes, ad subiungendos sapientes & potentes mundi? quod per homines inopes & abiectos tanta miracula fecerim in animarum salutem? Nullanè hæc tibi videntur præconia & decora religiosæ paupertatis? Et si sunt maxima, qua ratione, fili mi, non possum non iustissimè conqueri de illis, qui non solum non amant paupertatem, sed etiam sine causa aspernantur? Quod à mundo contemnatur, mirandum non est, quia hæc eius professio est, hoc institutum noctu diuq;

diuque vacare cumulandis opibus, & amplificandis honoribus. Sed quod offendantur religiosi, qui factis eam respuant, & occultè eam vituperent, res est quæ in intimis cordis visceribus mihi displicet, dum video reginam illam voti religione mihi promissam, quæ imperitare apud eos debebat, tam impudenter exturbari. Sine spiritu res spirituales non possunt amari.

*De utilitate, quam religiosi afferunt
Paupertas voluntaria.*

CAPVT IX.

DOMINE, quam utilitatem afferre potest paupertas religiosa, cum nihil habeat vnde necessitates humanas leuare possit? Imò ob incommoda quæ secum trahit, videtur non corpori solùm, sed etiam animæ noxia. Corpus enim malè ab ea tractatura facilè in ægritudinem labitur. ægrum autem animæ actionibus spiritualibus seruire nequit. sed nec anima consuetis orandi & meditandi vacare potest exercitiis. Deinde non parum impedit religiosos, qui ad iuuantos proximos profitentur vitam actiuam, si enim rebus necessariis destituti sint laboribus in proximum conferendis succumbunt.

K §

bunt.

bunt. Itaque mihi videtur Paupertas multa bona impedire, & contra, promouere mala, vt morbos, ac denique mortem.

FILII, longè a veritate aberras; imaginaris enim Paupertatem religiosam, esse seueram & crudelem dominam, quæ subtrahat religiosis ad victum & amictum conuenienter instituto & vocationi suæ necessaria. Non est ita. Paupertas sua parsimonia animæ & corpori est salutaris, & plus homini prodest, quàm mundi opes & voluptates. Nam in primis caducorum honorum cupiditas, sic animum hominis excruciat, vt omnem illi quietem adimat, ad exsugendum pauperum sanguinem extimulet, tantamque inducat cæcitatem, vt Dei hominumque metum ab eo, neglecta propria salute, excludat. Neque hic gradum figunt mortales habendi cupidi. Qui semel diues factus est, mox cristas erigit, & fit superbus & arrogans; improborum patrocinium suscipit, & effrenatus in omnia scelera præceps ruit. Ab his aliisque malis animum liberat paupertas voluntaria, dum ei non solum facultates quas habet, sed etiam habendi spem & desiderium, quod est origo ruiuæ animi & corporis, eripit, talemque pacem & tranquillitatem conciliat vt animum

mum

num ad contemplationem rerum diuinarum, & quasuis actiones spirituales efficiat idoneum. Vnde religiosus homo, simulatque pauper factus est, consequenter etiam fit humilis, modestus, mitis, amicus bonorum, & hostis vitiorum.

QVOD paupertas quoque sit utilis corpori, dubium non est. Nihil enim pro corpore ardentius postulamus quam sanitatē, nihil magis horremus quā aegritudinem. neq; est quisquam qui non malit esse pauper & sanus, quā diues & aegrotus. Et experientia quotidiana liquidē demonstrat, paupertatis parsimoniā incolumitatē corporis fartā tectā conseruari, in plures quoq; annos, quā in omni opum & voluptatum copia, vitam humanam prorogari. Quis nō videt, pauperes saniores esse, maioresq; labores sustinere, quā diuites? Pauperi non minus placet simplex & vulgaris mēsa, quā lauta & opipara diuitib⁹. Ille semper ad cibū sumendū accedit famelicus, modicū quod habet, comedit cum appetitu, nec refugit haustū aquæ post laborē & sitim, lecti molitiē nō quærit, sed dormit & q̄scit, vbi fors tulerit, mane surgit cibo digesto incolumis & sine fastidio. E cōtrario diues tēpori seruīens semifatur ordinariē mēsa accūbit, exigam

quam è cibo voluptatem capit, nocte vi-
dormit, sed nunc in hanc, nunc in illam le-
Et si spondam se voluit, & idcirco semper illi
adesse debet medicus, & pharmacopolia in
cubiculo parata. Ecce sic agitantur, qui in
delitiis viuunt, malè viuunt & citò moriuntur.
Non sic viuebant olim serui mei in ere-
mo, qui tantam paupertatem colebant, vt
quando herbis, salis aut olei aliquid asper-
gebant, festum diem se agere crederent. Es-
tamen hi medicis, omnibusque medicinis
destituti in decrepitam ætatem sani vitam
extrahebant. Non est itaque paupertas re-
ligiosa (vt tu opinaris) causa morborum, &
acceleratæ mortis. Nihil æquè valetudi-
nem lædit, ac ciborum varietas & abun-
dantia.

Afferit secum religiosa Paupertas & aliud
commodum, nempe securitatem omni su-
spicione, sinistrisq; cogitationibus vacuam.
Qui opibus abundat non externos solum,
sed etiam domesticos fures pertimescit. nec
iniuria. multi enim dum aditum præclusum
vident ad opes, primùm vitam illis erripiunt,
& deindè opes. Quot filij clanculum ferro
vel veneno è medio sustulerunt parentes, vt
citius venirent ad hæreditatem? Quot pro-
missiones etiam contra amicissimos extite-

runt ad eripiendum eorum thesauros? As
 pauperes securè dormiunt, noctu diuq; me-
 tus omnis expertes itinera conficiunt, nul-
 lis suspitionibus agitantur, quia non ha-
 bent, quod amittant. Adde, quod Paupertas
 neminem in via retardat, nec obliuionem
 regni cælestis, vti faciunt multæ opes, indu-
 cit, sed potius vrget & impellit, vt crebrius
 mente recolamus patriæ cælestis pulchritu-
 dinem, ingentesque thesauros ibi nobis pa-
 ratos.

D O M I N E, in die iudicij regno cælorum
 donabis tantum eos, qui amore tui cibum
 potamque subministrarint egentibus, & in
 aliis quibusque necessitatibus eis subuene-
 rint. Et quicquid illis præstitum fuerit, tibi
 præstitum vis reputari. Si ita est, quid ergò
 mercedis continget pauperibus religiosis,
 qui cum in religionis ingressu omnibus fa-
 cultatibus suis renunciarint, non habent
 vndè illis subueniant? Quare consultius fa-
 cturi fuisse videntur, si partem aliquam bo-
 norum suorum, quam in pauperes postea
 erogarent, retinuissent. Fili, eleemosynam
 largiri pauperibus opus bonum est, & vitæ
 æternæ meritorium, sed omnibus faculta-
 tibus suis & seculo renuntiare, ac me sequi
 longè præstantius opus est. Vndè adolescēs

Mat. 19.

alle

illi diuiti, qui me rogauit, quid facto opus foret sibi, vt ad vitæ perfectionem veniret, non consului, vt permaneret in seculo, & multas eleemosynas erogaret in pauperes, sed vt ipse, omnibus facultatibus suis, in pauperes distributis, pauper fieret, & ita me pauperem sequeretur. Quamobrem non habent religiosi quod in die iudicij reformident. cum enim amore mei, non modo omnia quæ habebant vel habere in mundo potuerant, sed etiam seipfos dereliquerint, præstantissimum opus & perfectissimum copiosa remuneratione & gloria in illa die compensandû, exercuerunt. Non est ad porrigendam eleemosynam obligatus, qui omnibus suis in egenos simul distributis, reliquum nihil habet, quod dari possit.

Cum ergo ex tantis Paupertatis religio-
sæ laudibus & vilitatibus liquidò appareat
seculares homines magnoperè falli, qui
tanta cupiditate congerendis opibus stu-
dent; quantum putabimus errore committi
à religioso, si & ille cumulandis pecuniis o-
peram daret, quibus per votum Paupertatis
nuntium remisit in perpetuum? Quæ a-
mentia foret, eundem dum seculum dese-
rit, velle egredi nudum, ne in certamine ha-
beat, vnde à dæmone teneri, vel in terram
deici

deici possit, & nunc in religione velle vesti, vt facilius ab hoste capi & sterni queat? Dæmon, quando non habet, quod apprehendat, aut victus recedit, aut ab lucta abstinet.

*Quemadmodum Deus etiam in hac vita
religiosis votum Paupertatis
compenset.*

CAPVT X.

FILII, ego sum, qui toti mundo necessaria suppetito. Ego iubeo solem oriri super bonos & malos. ego pluuiam tempore opportuno demitto. Ego auctor sum, vt terra germinet, & producat animalia, mareque abundet piscibus, quò cuique pro conditione naturæ suæ congruentia suppetant præsidia. Neque decet me, totius vniuersitatis conditorem, ab homine vinci, vt ille plus mihi largiatur, quam ego illi. Quoniã igitur religiosi per votum paupertatis mihi largiuntur seipsos & quicquid in mundo habent, & quo mihi promptius & expeditius seruiant, omnibus facultatibus, honoribus, comodis & recreationibus, ceteroquin licitis renunciant, & verò etiã perpetui voti vincu-

vincu-

vinculo, ne aliquando tergiuerfari rursus
possint, ad paupertatem se obstringunt, cō-
ueniens est, vt ego vicissim illis spondeam,
me omnia ad vitam necessaria, illis submi-
nistraturum.

Nō. 18

Primum ergò tam ardentem eorum ergo
me amorem & liberalitatem sic compenso
vt me totum illis consecrem, sicut olim in
persona Aaronis me facturum recepi: cui
dixi, me partem ipsius & hæreditatem fore,
intelligens in hoc typo omnes religiosos.
Ita me eorum procuratorem & dispensato-
rem constituo. Nec satis est mihi Domini
boni erga seruos fideles personam sustine-
re, sed etiam eodem loco eos habeo, quo
Pater optimus carissimos liberos. Et si vo-
lucres tanto studio necessarium victum se-
is pullis conquirunt, vis tu me religiosorum
filiorum, qui in cænobiis suis, velut auiculae
in nidis cibum præstolantur, obliuisci? Non
vis eos veste necessaria instrui, qui propter
me omnibus corporis commodis se exue-
runt, nihil retinentes proprium? Nulla res
indiget, cuius Deus curam agit.

Quapropter scias me omnibus præsidia
necessaria destinasse, & adhuc quotidie de-
stinare, licet non eodem modo omnibus,
quia nec omnium eadem sunt functiones,

nec omnes eandem rationem vitæ institu-
endæ sectantur. Nam eos, qui singulatim &
quoad personam propriam omni dominio
suarum facultatū sunt exuti, vt in hoc Pau-
pertatis gradu mihi seruiant, iussi in com-
mune possessionibus instrui, vnde singuli
vitam tolerare queant. Aliis verò qui ar-
ctiores Paupertatis leges sunt complexi; vt
ne in commune quidem vllis frui velint fi-
xis & stabilibus bonis, succurro nunc horū,
nunc illorum fidelium commouendo ani-
mos, vt velint necessaria subministrare me-
is filiis. Atque hoc est, vnicuique prospicere
iuxta regulam & vocationem suam. Tu
Deo ne desis, & Deus non deerit tibi.

Quòd propius autem veniamus ad remu-
nerationem, quam ego in hac vita quoque
religiosis facio, ad compensandum Pauper-
tatis votum: Dic age, fili, cur, dum aliquis
tuæ religionis ex aliis regionibus ad tuum
monasterium diuertit, omnes accurrunt, vt
illi necessaria suppeditent? qua de causa id
fit? Nulla sanè alia, quàm ob votum Pau-
pertatis; & pars est compensationis, quæ
paupertati religiosæ debetur. Si hospes ille
adueniens proprium aliquod peculium ha-
beret, vnde viuere possiet, vnusquisque ma-
nus suas ab eo iuuando retraheret, nec deef-

L

sent

sent obmurmuratores, qui dicerent. Ille factis locuples est, domi suæ: non dubium quin huc venerit absumpturus res nostras, ut parceret suis. Verùm non est ita, nam cū nemo ignoret illum ob paupertatis votum, nec proprium quippiā habere, nec habere posse, idcirco necessaria omnia cum caritate & beneuolentia illi subministrantur.

ADHÆC quantis curis agitatur Secularis ut familiam rebus ad victum amictumque pertinentibus instruat? Quoties noctes insomnes ducit, sollicitus, ubi, qua via, & ratione occurrere possit præsentī inopiæ? quot lacrymis sæpè perfunditur, dum consiliū nō suppetit, se vel alios iuuandi? An non tibi fili mi, beatus ille censetur, qui immunis est ab hac solitudine? An non magno donatus priuilegio tibi videtur, qui vacuus curis alios habet qui necessaria sibi procurent? Et vnde hoc priuilegiū religiosi contigit, nisi per me, ratione voti Paupertatis.

CONSIDERA deinde fili, religiosum, si fortè iter instituat per regiones externas, & ad sui Ordinis domicilia diuertat, humaniter excipi, & magna caritate tractari. Omnes, licet nunquam conspecto, sua officia deferre conantur, hoc solo nomine, quod intelligant esse suum fratrem, eiusdem secū
matris,

matris, id est, religionis filium. Vbi ad locum peruenit omnia illa æquè sunt communia, ac aliis qui inibi commorantur. Itaque pro vna domo, quam amore mei deseruit in seculo, inuenit millenas alias, sua præstantiores. Et hoc est, nihil habere, & tamen omnia possidere. Ne Princeps quidem ita commodè tractatur, quando extraditionis suæ fines peregrinatur. Ille enim in diuersoriis ab hospite non alia de causa, quàm ob speratum ab eo lucrum humaniter excipitur; & quisquis necessaria ad cōmeatum secum non defert, magnos sumptus facere solet, & multa sustinere incommoda, eò quod non diuertat in domum suam, sicut religiosus, & quicquid illi officij defertur, propter nummos defertur, & non ex amore, vt fit in religione. Vides nunc, quanto melior in hoc genere pauperis religiosi conditio sit, quàm Dominorū diuitū; quod non fit, nisi propter Paupertatis votū, cuius beneficio multis fruitur commodis, quorum ipse auctor non fuit.

PRÆTEREA, verum est quidem, victum religiosi esse tenuem, sed si sedulò perpendas conditiones victus, non dubitabis etiam magnorum Principum anteferre mensis. Primum omnia, quibus religiosus

vescitur, amore mei ei collata sunt, ex amore omnia parantur, eodem amore à seruis meis postea ad mensam deferuntur. Quicquid apponitur comedit & bibit omni suspicione exclusa. At quis in mundo Princeps est, cui semper ex puro amore seruiatur? Qua in aula tanta cum pace seruitur, sicut in religione? Vnde tot prægustationes in mensis Principum originem traxêre, nisi ex suspicione veneni? Et quis non videt plurimum æstimandum amorem & securitatem, qua religioso seruitur, quàm omnia magnifica Principum ministeria?

Religioso consueta officia non detrahuntur etiam in senectâ. Qui verò seruiuit Dominis terrenis, vbi ad extremam ætatê, qua agrè consueta ministeria præstare potest, peruenerit, si non domo exturbatur, saltem grauatè aliorum oculis tolleratur, nec pro meritis suis, quantumuis totam vitam in seruitio Domini sui impenderit, tractatur: sed pro homine inutili, qui nulli seruitio idoneus sit, habetur. Contra verò, pauper religiosus, quò ad prouectiorem ætatem peruenerit, hoc maiori in reuerentia habetur & tractatur commodius: nec in eo perpenditur, quid in præsentibus præstet, sed quid olim præstiterit, omnesque in cum

oculos

oculos coniciunt, tanquã in meum seruũ,
& hominem mihi consecratum. Non sene-
ctus, sed peruersa voluntas facit religiosum
ex mea gratia excidere. Religiosus spiritua-
lis & senex, qui laborare non potest, mihi v-
tilius seruit, quã multi iuuenes robusti, spi-
ritus expertes. Ego in seruis meis, non tam
considero vires corporales, quã volunta-
tem & spiritum, qui non vitio ætatis, sed
prauæ consuetudinis inueterascit, & perit.

Deniq; religioso pauperi maiori studio,
fide & amore in ægritudine seruitur, quã
Dominis secularibus. Nam medicorum
præscripta accuratissimè apud illos seruan-
tur; noctu' diuq; præsto sunt, qui ægris adsi-
stant. Si periculum vitæ impendat, tempe-
stiuè comonentur, vt ad eam se comparent.
In morte ipsa multos seruis meis obsidetur,
qui orationibus, piisq; monitis eos cohorten-
tentur ad felicem in alteram vitam transi-
tum. Certè, si religioso nulla in hac vita alia
superesset remuneratio, hæc meritò suffice-
re ei deberet, vtpotè tam eximia & singula-
ris, vt multi Principes & Domini mundi eã
exoptarint, sed obtinere minimè potuerint.
Quot enim illorum nulla antegressa præ-
paratione è vitis excesserunt, ideò quod
certiores redditi non sint de periculo? quot

cum vita temporali pariter iacturam fecere
aeternae?

Si talis est compensatio meorum religio-
forum in hac vita, qualis erit merces iisdem
parata in caelis? quali in aula mea ornabun-
tur corona pro voto Paupertatis? Quos
Domini obstupefacti ob immensam eorum
gloriam, dicent. Nos paupertatem eorum
aestimabamus insaniam & amentiam: nos
autem amentes fuimus, ipsi verò sapientes.

De necessitate observandi votum

Paupertatis.

CAPVT XI.

FILI, in meo Euangelio assimilavi diui-
tias spinis, & merito. Spinæ enim viato-
res impediunt, quò minus expedite progre-
di queant, metus enim punctiois eos re-
tardat. Adhæc spinæ manu apprehensæ pū-
gunt, constrictæ fortiùs, eliciunt sanguinè
& dolorè gignunt. Quare beneficio magno
affecti sunt, qui à tergo eas reliquerunt, &
dum ambulant amplius in conspectu non
habent. siquidem tractare aculeos spinarum,
& non pungi, si non est impossibile, saltè est
admodum difficile. Parumq; interest, sintne
parvæ aut grandes, paucæ vel multæ, quia
oës pungunt, & semper pungunt. Haud secus
diui-

diuitiæ plurimum retardant peregrinos ad
 cælum tendentes, onereq; suo magno affe-
 runt fastidium. Habere aliquid propriũ, ac
 ad illud non affici, nec multis, nec omnibus
 est cõcessum. Affectio est, quæ cogitationũ,
 suspicionũ, & sollicitudinũ de congerendis
 opibus spinas generat; quibus opibus quo
 quis plus se addixerit, hoc grauius se pũget,
 & cruore consperget. Quare non abundare
 opibus, vel ad eas deferendas obligari, in-
 gens beneficium est, & in eo consistit votum
 religiosæ paupertatis.

V E R V M fili mi, non satis est vota edidif-
 se, si non præstentur: quia voti finis est, o-
 pere illud obseruare. Memento itaque re-
 spontè ad perpetuam paupertatem obliga-
 tum, quæ inter virtutes morales & religio-
 sas præcipua est, & obligationẽ in conspectu
 meo peractam. Operibus autem contrariis
 voto illo se eximere, aliud nõ est, quàm bel-
 lum indicere virtuti cæterarũ facilè princi-
 pi, quam in tuam dominam & patronam e-
 legisti, atque ita pœnam violatæ obligatio-
 nis, hoc est, damnationem æternam incur-
 rere, ac me creatorem & benefactorem tu-
 um, qui votum acceptaui, offendere. Iu-
 dica nunc ipse, quam necessarium sit stare
 promissis mihi semel factis, quæ sicut ad

salutem conducunt integrè seruata, sic violata pertrahunt ad gehennam.

DOMINE, quandoquidem diuitiæ tam sunt molestæ & periculosæ, & tamen opus est victu amictuque ad vitam tolerandam necessario, satis esse tibi deberet, si in numero eorum saltem pauperum essemus, de quibus cum laude ita loquitur sacra Scriptura. *Beatus homo, qui post aurum non abit, nec sperauit in pecunia thesauris.* Sic enim possemus aliqua necessaria, recisso ad illa affectu, & voto paupertatis saluo, possidere. Verum est, fili, beatum esse, qui post aurum non abit, sed ibidem Scriptura mox subiungit. *Quis est hic, & laudabimus eum? Quis est, qui non desiderat aurum? Quis est qui adeptum non studeat conseruare, & augere? Si tu post aurum fortè non abeas, aurum abibit post te, & spinæ instar vestibus tuis adhærescet, ac vt non pungat, saltem incelsum tuum retardabit.* Quare votum paupertatis omnem prorsus proprij possessionem, siue magnum, siue paruum sit, excludit. Neque debes sollicitus esse de victu & amictu: mihi hanc curam relinque, tantùm labora, vt voto Paupertatis facias satis, & ego necessaria tibi prouidebo. Qui spem suam in alio collocat, quàm in DEO, iniuriam

riam facit DEO, & se inueniet deceptum.

MEMENTO Paupertatem vocari religionis murum, & religiosorum matrem. Quamdiu solidus & integer murus est ciuitatis, facilè à latronum vel hostium incurfu defenditur, quando verò disturbatus est, aut rimas agit, facilè ab hoste inuaditur & diripitur. Sic paupertas, quæ est disciplinæ religiosæ murus, si vel prorsus abiiciatur, vel rimas agat, per quas proprium aliquid recipiatur, obnoxia redditur hostium direptioni. Quare opus est vt murum custodias, si cupis murum custodire te. Qui belli tempore mœnium custos est, duas debet habere condiciones. Vnam, vt vigilias agat: alteram, vt non sinat se corrumpi hostium muneribus. Hæ duæ condiciones sunt in religioso voluntariè paupertatem complectente: vtpotè qui parcè viuens, nullam à somno capit molestiam, & cum proprietarius non sit, non facilè corrumpetur inimici muneribus. Quare non est neque vigilantior custos neque robustior muri religionis defensor, quàm religiosus verè pauper. Necessarium præterea est, vt muri ciuitatis sæpè inspiciantur, & vbi & quando opus est, reficiantur & firmentur: nam si cæperint alicubi vel agere rimas, vel in vnam partem

inclinare, difficulter remediū adhibebitur. Sic crebro inspiciēda est religionis paupertas, ne aliqua sui parte, licet minima, laxetur; & si laxata fuerit, rursū astringatur. hac enim ratione validius munietur religio, eiusque status reddetur securior. Sicut enim primus hostium scopus est, subruere propugnaculi alicuius muros, sic summa cura eorum qui illud defendunt, esse debet, ut muri conseruentur.

DICTA deinde est religiosorum mater, quia Paupertas prima est, quæ communitat religioso suum esse vel naturam, eundemque nutrit & educat. Verū quidem est, eam in liberorum educatione nonnihil esse seueram, eò quod illis commoda quaedam, non necessaria, sed potius superuacanea subtrahat, tamen illud bono fine facit, ut nimirum filij in fortes euadant milites, ac strenuè contra omnia vitiorum genera decertent. Probè siquidem nouit, hominem in delitiis educatum, & perferendis aduersis non assuefactum, non posse esse bonum militem. Inter conditiones huius matris vna est, quod se amantibus liberis cara est & grata, non amantibus autem grauis & exoria: & quisquis obligatus est subesse gubernationi talis matris, si ad illam non se accom-

accommodarit, perpetuam in vita experietur afflictionem.

Si tibi fili, fortè displicet talem habere matrem, recordare Paupertatem non elegisse te in suum filium, sed contra, elegisse te illam in tuam matrem, atque illam te in filium acceptasse. Tu quoque ratione voti teneris perpetuò vitam agere cum tali matre. quare nec est amplius in potestate tua renunciare illi, sed teneris eam amare, honorare & defendere. Dic mihi nonnè grauius delinqueret filius, qui malè tractaret matrem, aut domo eam exturbaret? nonnè is dignus esset seuera castigatione? Quid verò est aliud reculis nonnullis propriis frui, vt tuæ indulgeas cupiditati, nisi iniquè tractare matrem tuam Paupertatem? Nullam autem eius rationē habere, quid aliud est, quàm eam ex intimo corde tuo, quæ domus eius est, expellere? Vide fili, quid agas, quia damnum omne recidit in caput tuum; quandoquidem constat illam non indigere opera tua, te autem indigere opera illius, nec potes sine illa vitā religiosam ducere. Illa tibi non est obligata, sed tu illi. Regnum cælorum pauperum est. Qui verò non vult paupertatem agnoscere tanquam matrem, non erit quoque particeps haredi-

hæreditatis illius, quæ est regnum cælorum.
 DOMINE, probè intelligo, votum paupertatis edere, non esse aliud, quam promittere tuæ maiestati me nec habiturum, nec velle habere aliquid proprium, ac vitam in paupertate acturum. Cæterum aueo cognoscere, possimnè Voto paupertatis facere satis, si proprij nihil possideam, & tamen omnia palato, & modo agendi meo congruant. Fili, sicut mihi placet, vnumquemque instructum esse rebus necessariis, sic mihi displicet, si religiosus vel habeat vel procuret superuacaneas. Quid autem necessarium sit, vel vtile, non est tuum iudicare, (facilè enim à sensu vel affectu proprio seducimur) sed superioris. Ad te tantum pertinet necessitatem tuam proponere, Superioris autem est iudicare, quid consentaneum sit Paupertati. Pauper non est, cui nihil deest, nec more pauperum viuit, qui omnia habet, pro vt collibuerit.

*De defectibus, qui contra paupertatem
 committuntur.*

CAPVT XII.

FILI, qui à redditibus instructus est more pauperum, & tamen instar diuitum
 vult

vult magnas impensas facere, vehementer errat; breui enim alieno ære ita grauatum se sentiet, vt cogatur inire carceres, ibique errati luere pœnas, donec extremum quadrantem persoluerit. Quicquid habes in religione, datum est tibi à me, & propter me: ego autem tibi tanquam pauperi in vsum tuum, tuæque religioni necessarium illud attribui. Si verò tu res religionis velis tractare & expendere, more diuitum pro tuo arbitrio, atque si esses absolutus earum Dominus, malè tibi succedet, quia de omnibus rationem mihi aliquando es redditurus. Omnia quæ in mundo possidebas reliquisti, & ne pro arbitrato tuo illis vterere, eorum dominio es exutus; quomodo ergò in religione cogitas vsurpare dominium in res alienas, ac pro libitu de eis disponere? Id certè neque conueniens est, neque mihi placet. Quamobrem necesse est, vt statuas res religionis tractare tanquam res meas, mihi que consecratis. Quod autem in tuum transfertur vsum, tractare debes, non tanquam tuum, sed tanquam meum, per superiorem tuum à me tibi concessum, idemque vsui tuo seruiturum, quamdiu mihi placuerit, ita vt in arbitrio meo sit illud tibi, cum ita visum fuerit, tollere.

Non

NON parum mihi displicet, quoties religiosus tanta cupiditate in rem aliquam suo vsui permissam fertur, vt ægrè, cum ratio deposcit, illam relinquat. Qualis enim bestia foret, quæ à Domino ad ferenda onera conducta, nollet sibi postea adimi instrumenta ad onus commodè sustinendum congruentia? Quicquid religio vnicuique attribuit, id, seruitij mei causa facit, & siue ego adimere, vel permittere aliquid alicui velim, non debet eam ob causam vel angere vel turbari. Nimia affectio ad res accommodato datas, facit vt mente excidat, esse alienas.

O quantoperè me offendunt ij religiosi, qui rubore suffunduntur, si pauperes sint, viliorèque vestitu & victu vtantur. Quomodo enim fieri potest, vt pudeant ea re quæ cedit eis in gloriam, cuius beneficio ad statum tam sublimem prouecti sunt, eosque similes reddit Domino suo & magistro? An obliuisci potuère promissionis de paupertate factæ? vel si non sunt oblitij, cur eam parui faciunt? Quis quæso in seculo est, quem suæ professionis pudeat, cum ergò religiosus publicè professionem paupertatis fecerit, quid causæ est cur de paupertate erubescat? Non ita fecerunt
qui-

quidam mei serui, qui nunc æternis in cælo fruuntur gaudiis, illi enim potius pudefiebant, si quem deprehendissent se pauperiorem. Quem virtutis pudet, is liquido declarat se non diligere illam. Malum signum est odisse paupertatem, quæ est virtus primaria & religiosæ vitæ propria.

Sunt alij qui erubescunt de inopia parentum, alij verò qui gloriantur de eorum diuitiis. Vtraque autem affectio est religiosi malè mortificati. Quod parentes sint locupletes, virtus non est, cur ergò religiosus de iis gloriatur? Imò quo locupletiores sunt, tanto in maiori periculo sunt religiosi, ne aliquando respiciant retro, ac ideò maior timendi quàm gloriandi se offert materia. Quod autem parentes tui sint inopes, nunquid tuo vitio factum est? & si non est, quid est quod erubescas, vel affligaris? Si pauperem esse in seculo foret crimen, iustam pudoris causam haberes, sed non est. Vel si paupertas viam ad cælum redderet difficilorem, meritè dolere & conqueri valeres, at iam constat eam non inopia sed opibus reddi difficilem. Vis parentes tuos esse diuites? Fac, ut sint virtute præ-

præditi, & statu suo contenti: sic enim erunt in Dei gratia & amicitia, quæ omnes huius vitæ diuitias & honores antecellit. Religiosus qui optat parentes suos in mundo exaltari, nec laborat ut opibus spiritualibus instructi sint, exigua pollet caritate, & spiritu nullo.

GRAVIS quoque defectus est in voto paupertatis, si quis existimet se ei fecisse satis, cum nihil possidet tanquam proprium, & interim sollicitus est, ne quidquam sibi desit. Ego certè non video, quemadmodum hæc duo coherere queant: Votum paupertatis edere, & nolle eam probare: esse pauperem, & nullum paupertatis effectum velle experiri: Amare paupertatem, & velle ut longè absit. Ego pauper fui, quia in toto vitæ cursu expertus sum paupertatis effectus, tolerando famem, situm, æstum, satigationem, nuditatem aliaque incommoda. Ego dilexi paupertatē, & idèd volui illam mihi esse comitem vsq; ad crucē, in qua nudus sum confixus. Apostoli quoque mei, alique discipuli & sectatores multa paupertatis incommoda perpeffi sunt vsq; ad mortem. Tu verò non modo non quaris occasionem aliquid, more pauperum patiendi in victu & vestitu, sed etiam omni studio ac etiam importunè

portunè anhelas ad meliora, & si non consequare, turbaris & murmuras. Et quod deterius est crebrò tuam sensualitatem necessitatis vel sanitatis pallio tegis. Pauper non est, qui refugit pauperum incommoda. O quàm placuere mihi religiosi illi, qui cum rebus ordinariis, & aliquando necessariis essent destituti, tamen non lamentabantur, nec contristabantur, sed cum gaudio dicebant. Hoc est agere pauperem Christi. sit nomen eius semper benedictum.

ILLI quoque, qui non sunt contenti cōmuni religionis tractatione, sed citra iustā causam, aut peculiaria quædam optant, aut non necessaria, Votum paupertatis labefactant. In altero enim sumptus fiunt sine necessitate. In altero verò est mera supfluitas: quorum virumque repugnat paupertati, cuius hoc est solenne dictum. *QUANTVM satis est, & non amplius.* Parsimonia uti in rebus religionis, easque consumere tantum cum postulat necessitas, non est miseria, ut loquuntur Paupertatis ocores, sed virtutis actus, quia Paupertas id exigit.

EST præterea vitium cum paupertate religiosa pugnans, tum munera accipere sine facultate Superioris, tum aliis impertiri. Quicquid enim religioso donatur, religio-

M nis

nis est, non religiosi, qui non potest habere proprium. itaq; si munera suscipiat, se proprietarium demonstrat, sicut si quippiam donet alteri, se demonstrat dominum. Vtrumque autem, & proprietas & dominium aduersatur religiosæ paupertati. Nec omnino à culpa immunis est religiosus, si exigui precij sint accepta vel data, nam in voto paupertatis non est vlla exceptio facta de rebus paruis & leuibus, sed absolutè in eo promisit se nihil proprij, siue magnum, siue paruum sit, vsurpaturum, nullumq; dominium æquè in paruis ac magnis rebus habiturum. Error in rebus paruis & leuibus, non amittit nomen erroris.

DENIQUE læditur Paupertas, cum expensæ fiunt superuacaneæ, ac res potiùs curiosæ & venustæ, quàm vtilis & necessariæ coëmuntur. Qui verè pauper est, & sincère complectitur paupertatem, conatur facere quod illa postulat, & non plus. Quid interest religioso, codicem habere inauratum, vel vestem serico filo confutam? Cum enim non minus seruiant, illi codices auro destituti, quàm aurati, vestis communi filo confuta, ac serico, atque alterum altero magis cum paupertate congruat, cur non conformabit se paupertati? Sic etiam, quæ rogo,
causa

causa est, vt religiosus res alienas, quæ ipsi non profunt, & aliis prodesse possent, in cubiculo suo retineat? nonnè superfluum est, quod impedit alterius bonum? Fili, vel optas in terra adscisci in numerum pauperum, vel in cælo? Si in terra, sufficit tibi, quod votum paupertatis edideris, & ab hominibus pauper nomineris. Si in cælo, non sufficit hoc, sed præterea opus est, vt sis pauper ipso facto, hoc est, vt omnia superuacua rescindas, ac continenter vsque ad mortem in actibus paupertatis te exerceas, & hoc est esse pauperem religiosum. Non est in meorum pauperum contubernio, qui vult abundare superfluis: nec pauperum fruetur præmio, qui effectus paupertatis expertus non fuerit.

DE VOTO CASTITATIS.

Quid sit castitas religiosa, & quod eius officium.

CAPVT XIII.

FILI, si virtus castitatis non esset, peccatum cum homine ageretur: carnis siquidem concupiscentia, ea natura est, & conditione, vt si non coerceatur tempestiuè, hominem alioqui ratione & intelligentia præditum breui tempore totum reddat belluinum.

M a

Nam

Nam sensuum illecebra titillationeq; ita mentem humanam obscurat & exæcat, ut eam in omnes bestiales fæditates & sordes pertrahat. Qua semel, ut fit, iudicio & consilio destituta, miserabiliter homo in omnia flagitia præceps agitur. Hinc fit, hominem voluptatibus carnis deditum, omni robore ad benè agendum spoliari, non cogitare, nec loqui alia de re quàm de lasciuia, & illecebris carnalibus, nec aliud optare, quàm ut per omnem vitam eiusmodi delitiis circumfluat. quare & alteram vitam odit. Neque hinc sinit hominis carnalis dementia, sed odio etiam quodam exardescit in Creatorem, quod in sua lege illas fædas carnis voluptates vetuerit, & condemnarit. In homine sensuali deficit sensus, & culpa augetur.

ALIA conditio concupiscentiæ est, efficere, ut nullum sit bonum, quod homo sensualis non aspernetur, neque malum, quod non committat, ut potiatur eo, quod illicitè desiderat. Nullam rationem habet opum, sed ut libidini suæ faciat satis, omnia profundit, vitam mille periculis exponit, nullam sanitatis curam gerit, nihil pensi habet conscientia repugnare, animamq; lædere, modo ad scopum suum colimet: Denique
omnia

omnia tam terrestria quàm cælestia post-
ponit suis carnis voluptatibus Non fit ani-
malis, qui actiones animalis non exercet.

TER TIA Concupiscentiæ conditio est,
quod nunquam satiatur imò voluptatibus
carnalibus quotidie accrescit, & ita corpus
inflammatur, ut nulla febris licet ardentissi-
ma æquè hominem cruciet, ac concupiscē-
tia. nec vlla furia infernalis ita exagitur,
ut homo luxuriosus, cuius æstus tantus est,
ut videatur non posse extinguere, nisi morte.
Caro primò hominem ligat, post excæcat,
deinde exagitat. Qui non vult hoc modo
tractari, non se dedat eius seruituti.

CUM hac pestifera indomitaq; fera bel-
lum gerendum est castitati, quæ vocata ab
homine in auxilium libenter venit, & con-
cupiscentiæ æstum vehementer mitigat.
Officium ergò generale castitatis est, o-
mnes sensuum cupiditates ad rectæ ratio-
nis normam moderari & dirigere, unicui-
que continentiæ gradui tribuendo, quan-
tum conuenit, & non amplius. Et quoniam
gradus continentia sunt varij, varia quo-
que sunt eius concessiones & prohibicio-
nes quas in sua lege præscribit. In primo &
infimo gradu est continentia conjugatorum,
quibus tantum prohibet delectationes illi-

citas. In secundo est viduarum. In tertio cæ-
 libum, qui non solum illicitis renunciant
 carnis voluptatibus, sed etiam licitis; qui-
 bus videlicet citra noxam frui possent, si ma-
 trimoniū inire vellent. In quarto gradu est
 continentia Virginū, quæ ut iam dictis per-
 fectior est, ita maiori præmio digna est. Cui-
 us perfectio sita est, non solum in firmo pro-
 posito continendi se ab omni Venerearū il-
 lecebrarum genere, verum etiā in perpetua
 virginæ integritatis cōseruatione. In quin-
 to, supremoq; gradu collocata est continē-
 tia religiosorum, quæ, esto, virginea aliquā-
 do non sit, tamē perfectione cæteris omni-
 bus præstat, eò quod per Votum mihi sit cō-
 secrata, quod cum sit excellentis caritatis
 actus, & virtutum moralium maximæ,
 nempe religionis, continentie religiosæ
 summam perfectionem excellentiamque
 conciliat.

I A M verò lex castitatis imperat, ut con-
 tinentia religiosa tria se digna officia exer-
 ceat. Primum est carnem cōseruare pu-
 ram. in quam rem opus est animi robore.
 Nam cum caro per se procliuvis sit ad incon-
 tinentiam & impuritatem, fortitudo animi
 necessaria est, ad eam quasi freno coercen-
 dam, ut homo qui naturaliter carnem suam
 diligit,

diligit, nec finit eam facile affligi, non nimium relaxet illi habenas, & in voluptatum carnalium lutum se demergat. Alterum officium est, custodiam agere sensuum, in quam rem opus est diligentia. Nam cum sensus sint vagi, & lubrici, innumeraeque errandi occasiones se ingerant, nisi religiosus in iis custodiendis sedulus fuerit, facile limites suos transilient. Tertium officium est, sartam tectam conseruare mentis puritatem, quo necessaria est cautela, ad considerandum & expendendum, quid in eam admittatur. Si enim quippiam sit, quod inquinare eam possit, debet ei aditum omnem praecidere, eò quod facilius sit ingressum prohibere, quam semel admissum postea excludere.

FILI, hæc religiosæ castitatis lex est, & hæc eius officia. Si velis ab ea iuari, quandoquidem hoc sine eius opem imploras, necesse est vt tu illi quoque faueas, operamque tuam non deneges, quo officio suo facere satis possit. Si enim secus fiat, perinde faceres, ac si in domum quidem aduocares medicum, sed nolles ab eo vulnusegri attingi metu doloris, vel fastidij secuturi. Hæc non est via curadi infirmi, sed potius morbi augendi. Corpus assuefactum

voluptati conqueri solet, castitatem nimis esse exactam & seueram in exequendis suae legis praecipis, quae multa prohibeant, & concedant pauca. Verum, haec sunt mollium, sensualiumque egrotorum querelae, qui ordinariè appetunt, quae maximè illis noxiae sunt. Quae si illis indulgeantur, afferunt damnum. Quare consultius illis talia negantur, etiam si molestè ferant. Permite filii, ut medicus manum apponat ferro, nam concupiscentiae carnalis hunc, nisi maturè praecidatur, facilè in putridum moriturumque apostema degenerabit. Qui cum exigua afflictione non est curatus, sicut debet, alibi aeterno cruciatu torquebitur, sicut debet.

De excellentia castitatis religiose.

CAPVT XIV.

FILI, homo constat duabus partibus. altera dicitur inferior, & sensitiva, ac pertinet ad corpus. Altera superior, & rationalis, ac pertinet ad animam. Quando creatus fuit in paradiso terrestri, quamdiu in statu innocentiae perstitit, magnam quoque sensit pacem, quia pars inferior perfecte subiecta erat, & obsequebatur superiori, nec
aude-

audebat rationi repugnare. Quando autem
 homo per peccatum restitit creatoris sui
 voluntati, felicique & pacifico innocentiae
 statu excidit, cepit pars inferior aduersari
 parti superiori, hoc est, Dominæ suæ ratio-
 ni; & præterquam, quod ex fastu dominæ
 auctoritatem sibi usurpare voluit, turpiter
 etiam lapsa est; quia posthabitis rationis
 monitis, totam se cepit dedere voluptati-
 bus. Hinc natum est bellum, quod nunc ge-
 ritur inter sensum & rationem, hinc pristi-
 na pace & tranquillitate homo spoliatus
 est. Eaque de causa coactus fuit homo vir-
 tutum se commune præsidio, ad mitem-
 dam sensualitatem sub iugum dominæ ra-
 tionis. Inter quas virtutes principem facile
 locum obtinet castitas. quæ ubi ingressa
 fuerit superiorem animæ partem, velut pru-
 dens magistra mandat parti sentienti vt in-
 tra suos limites se contineat, & rationi ob-
 temperet. Vnde prima castitatis excellentia
 est, hominem restituere, quoad fieri potest,
 in priorem statum in quo conditus est, & ca-
 puritate ornare, qua claruit in paradiso ter-
 restri.

ADHÆC Castitas dicitur virtus angeli-
 ca, quia hominem angelo similem reddit,
 dum facit vt vitā angelicam ducat. Quam-

M s

uis

uis enim natura sua medius sit inter animalia & angelos, eò quod utrorumq; conditiones in eum conueniant, licet illis superior, his verò sit inferior, tamen aliquando totus animalis est, aliquando angelicus. Animalis, quando sensualitas in cõflictu cum parte superiore obtinet victoriam, & rationem sibi subiicit, efficitque vt homo in tantum se cupiditatibus terrenis immergat, vt cælestia non capiat, & velut bestia, nullum ex rebus spiritalibus gustum percipiat. Cæterum quando castitas subiuit animi penetrabilia, dispar belli exitus sequitur. Castitas enim primò frenum iniicit sensualitati, & moderandi auctoritatem impertit rationi: tum curat, vt spiritus dominetur carni, & hoc est, esse angelicum. Quamuis autem homo conuenienter naturæ suæ sit alligatus carni, & dum in hoc exilio degit, in carne peregrinetur, tamen quia beneficio Castitatis secundum carnem neutrquam viuit, angelicam vitam ducere dicitur. Qui verò in terra viuit vt angelus, in cælo quoque fulgebit, vt angeli.

PRÆTEREA castitas euehit hominem ad magna & mirabilia præstanda, contra verò intemperantia carnis eundem deprimit ad abiecta & vilia. Experientia

con-

constat, eos qui voluptates carnis sectantur non anhelare ad præclara & herõica facinora designanda, imò dum cernunt se carnis laqueis irretitos, prorsus se in libidinum volutabrum demergere. Hoc etiam vitio sic humanum obtunditur atque hebescit ingenium, vt non solùm progressum impediatur in disciplinis & artibus, verùm etiam obliuionem eorum, quæ semel comprehensa fuerint, inducat. Contra castitas, vt est virtus angelica & cælestis, ita hominem ad eximia & generosa opera patranda extollit.

RELIGIONVM fundatores, nisi vitam castam duxissent, nunquam res tantas, tamque arduas, hoc est religionis nouæ foundationem, aggressi fuissent. Neque Apostoli mundum ad amplectendum Euangelium commouere potuissent, aliæque præstanda, quæ præstitere, si coniugibus & liberis alligati fuissent. Qui itaque puritatem mentis & corporis sectantur, aptiores sunt ad percipiendam meæ gratiæ lucem & splendorem, ad contemplanda cælestia, diuinitatis mysteria, spiritus beatorum, felicitatis æternæ, bonorumque in cælo virtute præditis paratorum magnitudinem & excellentiam. Vndè & homo, licet mortali

tali adhuc in corpore degens, tamen si castitatem mentis, puritatemque colat, iam ex parte paradisi frui incipit delitiis.

NEQVÆ exigua est illa Castitatis præstantia, quod sic exornet & illustret hominis animam, ut meis oculis gratissimam reddat. Licet enim omnes virtutes venustior eam reddant, singulaque peculiari quodam ornamento eam condecorent, tamen castitas, quoniam eam ab omni macula carnali conseruat immunem, longè purissimam & venustissimam reddit: sicut è contrario vitium carnis eam tam spurcam & grauolentem efficit, ut, quamuis aliis omnibus virtutibus moralibus instructa foret, tamen ægrè tolerari possit. Pulchritudo externa crebro exitium affert animæ: sed castitas, quæ est animæ pulchritudo, præterquam quod sit Deo gratissima, vtramque & animæ & corporis salutem conciliat.

DENIQVÆ castitas religiosa, quamuis per se sit præclara & excellens, tamen ex multis aliis splendorem perfectionemque ampliorem adsciscit. Primum enim vehementer illustratur per Votum, cuius vi religiosus omnibus illecebrarum generibus, siue corpus & sensus, siue mentem & internas facultates attingant, renunciauit. De
inde

inde non modicum splendore capit à fonte & origine sua, nempe à sincero & perfecto amore mei. Religiosus siquidem non necessitate, vel commodi spe impulsus, non villo alio humano prætectu adducitur, vt blandimentis omnibus carnis nuntium remittat, sed tantum quò mihi placeat. Quocirca & castitas religiosa hoc illustrior est, quò perfecta caritas, quæ eius mater est, inter omnes virtutes eminentior est. Ex fine quoque & scopo, quem castitas religiosa propositum habet, non exigua est splendoris, perfectionisque accessio. Finis ille alius non est, quàm gloria & honor meus. vnde religiosi ad perpetuam castitatem se obligant, quia ea mirum in modum cultus diuinus amplificatur, atque idcirco nihil mirum est, castitatem religiosam inter omnes castitatis gradus obrinere principatum. Quò castitas plus splendoris perfectionisque capeffit, tanto plus etiam communicat suis amatoribus.

QVAMOBREM fili, cum tam præstans & excellens sit castitas, non satis est mihi, si eam quomodocunque complectaris, aut etiam ardenti desiderio ad eam tanquam admodum preciosam aspices, sed optarim vt te illi quoque addiceres tanquam rei sacre,
mihi

mihique gratissimæ. Et scias, me cumpri-
 mis esse cordis casti purique amatorem, &
 tantum amatorem, vt non modo in eo cum
 gaudio singulari requiescam, variisque do-
 nis illud locupletem, verumetiam nihil à
 me postulari possit, quod non gratiosè illi
 impertiam. Atque hoc vnum cuiusuis reli-
 giosi animum inflammare deberet ad desi-
 derandam hanc cælestem gemmam, non
 solùm in virtutum choro in terra, sed etiam
 in cælo, inter beatorum acies mirificè re-
 splendentem. Quo impensius amaueris ca-
 stitatem, hoc impensius amaberis à Deo, &
 si eam amare non potes, quantùm amari me-
 reretur, saltem ama eam, quantum potes.

Quantoperè conueniat religiosos esse castos.

CAPVT XV.

DOMINE, sat benè intelligo, admo-
 dum conueniens esse, vt castus sit, qui
 tuo cultui est addictus, quandoquidem be-
 neficio voti totus tibi omnis puritatis fon-
 ti est consecratus & mancipatus. Non
 congruit, vt sub capite nitido & puro, mem-
 bra sint impura & sordida. Cæterum
 haud scio, quemadmodum tueri diu pos-
 sim castitatem, cum domi habeam capita-
 lem eius inimicum, qui internis externis-
 que

que fretus præfidiis, tam audax & fortis
 euadit, vt pænè diffidam de victoria. Iam
 nosti Domine, quàm grauitè insolens
 ista caro, animæ meæ puritatem persequa-
 tur. non ignoras quot insultus noctu diu-
 que in eam faciat. Quamquam hoc me
 non terret. Verùm hoc me animi pendere
 facit, quod tum intus à sensuum petulan-
 tia, tum foris ab atrocissimo humani ge-
 neris hoste Satana illi suppetiæ submini-
 strentur. **FILII**, quæ dicis, verissima sunt,
 sed ideò animus despondendus non est,
 nam quo maior est hostis audacia & poten-
 tia, hoc gloriosior succedet corona & vi-
 ctoria. Nec deerunt tibi auxilia mea. tu tan-
 tum partibus tuis ne desis, viresque omnes,
 quas potes pro defendenda castitate, exerc,
 & nullus inimicus siue intus, siue foris tibi
 palmam eripiet.

I A M verò fili, quandoquidem ipse a-
 gnoscis & fateris conueniens esse vt reli-
 giosus seruus meus sit castus, sicut & ego,
 Dominus eius, castus sum: noris, me sem-
 per fuisse tam ardentem honestatis ama-
 torem, vt aduersarij mei, qui in pluri-
 his rebus me sunt calumniati, non ausi
 fuerint vel minimum lapsum contra casti-
 tatem mihi obiectare. Tales autem esse
 debere

debere

debere religiosos, exigit illorum status, cum professionem faciant se meos fore sectatores, & vitæ meæ imitatores. Quocirca, cum ingenti affectu castitatem sim complexus, eamque veneratus sim tanquam ducem vitæ spiritualis, conuenit vt ipsi quoque eam velut dominam amplectantur & tractent. Et quoniam tanti facio honestatem, summo autem odio prosequar concupiscentiæ vitium; qua ratione tu vis in domo mea à me tolerari famulum parum honestum? quomodo patiar mihi vllum cultum deferri ab eo, quem scio cor habere impurum? Seruus, qui non se conformat suo Domino, aut benevolentiam eius conciliare negligit, vel non diu persistet in officio, vel si persistat, exiguum faciet quæstum, & in periculum se coniciet, ne cum suo dispendio & decore domo pellatur. An ego a seruo meo postulo aliquid indecorum vel impossibile? Postulo honestatem, quæ est virtus principalis. postulo, vt ne sinat se vinci à sensualitate, quod est honorificum. Postulo, quæ sponte promisit, hoc est, vt viuat castè, quod est iustitiæ.

DEINDE aueo cognoscere, in quo consistat relinquere mundum? Certè non vt homo desistat viuere sub cælo, vel in terra

com-

commorari, vel hanc haurire auram, hæc enim omnia necessaria sunt, & æquè secularibus, ac religiosis communia sed ut vitam instituat longè a seculari discrepantem. Inter mala seculi huius vnum est, res spirituales negligere, & recreationes, atq; alia carnis sectari solatia. Religiosus igitur, qui syncerè relinquit mundum, vitam gerere debet moribus mundi contrariam, ut mortificando suas cupiditates, illecebris sensu renunciando, & aspernando quicquid cæcus hic mundus amat & complectitur. In summa, conuersatio religiosi debet esse incælis. at nihil æquè retardat desiderium rerum cælestium, nihil æquè rerum spiritualium gustum adimit, atque incontinentia. Atque è contra, nihil æquè promouet religiosum ad ducendam vitam cælestem, sicut vna castitas, quæ, uti cor mundum conseruat, ita sustollit religiosum ad rerum diuinarum contemplationem. Quo vita tua longiùs distabit à mundo, hoc castitas tua erit securior, & in terra ad vitam cælestem ducendam citiùs promouebit.

FILII, perspectanè tibi causa est, cur homo impudicus, ne apud Ethnicos quidem ad tantam impudentiam, venerit, ut ausus fuerit in præsentia aliorum quidquam age-

N

rela-

re lasciuus? sed mox pudore suffusus circumspiciat angulos & loca retrusa? Nimirum naturale rationis lumē eum docuit, omnes actus impudicos & fædos conspectu hominum indignos, & ideò fugit, & in latebras se abdit, veritus ne aliquid faciat cōtra dignitatē suam, & rationis regulam. Itaq; si actus pugnantes cum castitate homine indigni sunt, quāto magis homine Christiano, cuius in lege vitiū concupiscentiæ reprehenditur. Ac multò amplius indigni erūt homine religioso, qui castitatē professus est, & voti etiā religiōe se ad viuendū castē obstrinxit. Qui in fædis actionibus patrādis aspectū hominum fugit, non tamen effugiet conspectum Dei ubiq; existentis, & omnia contemplātis.

Qvōd homo amore mei permotus subiiciat se alteri homini inferiori, pendens ab eius voluntate, & in omnibus obtemperans, honorificum est, & magni meriti, quia quicquid amore mei fit, mihi fit, & meum est hoc officium remunerari. Verū, vt homo in sublimi statu constitutus cum suo detrimento & dedecore subiiciat se rei vili, & se inferiori, repugnat voluntati meæ, qui sum Dominus etiam hominis, si non stulti, saltem animi perturbationibus obnoxij. Age nunc dic mihi fili, vtrum potius

con-

conueniat, religiosum subiicere sibi sentiē-
tem partem, nempè ancillam suam, an per-
mittere, vt illa velut domina imperet ratio-
ni. Quod si illud conuenientiùs est, & non
hoc, conuenit quoq; vt religiosus in precio
habeat castitatem, cuius ope ancillam con-
cupiscentiam subiiciat legitimæ Dominæ
suæ rationi. Qui se subiicit cui non debet,
tractatur quoque sicut non vellet.

FILII, qui habet inimicos, opus habet cu-
stodibus corporis. Qui verò eos habet intra
& extra suum propugnaculum, sicut in gra-
uiori est periculo, ita maiori indiget præsi-
dio, maximè si vtrique inimici externi & in-
terni, inter se cōspirarint. Quid verò mere-
retur, qui hostibus internis in vincula con-
iectis propugnaculum periculo liberasset?
Haud dubium est, quin mereretur à propu-
gnaculi Domino impetrare, quicquid vel-
let. FILII, hostem domesticum vel in-
ternum habes vnum, scilicet carnem, &
binos foris, mundum & diabolum, qui
omnes inter se fæderati sunt, & conten-
dunt cordis tui propugnaculum inuade-
re. Quantum ergò mereri potest de te ca-
stitas, quæ carne, eiusque cupiditatibus bel-
luinis, inimicis domesticis expugnatis, tam
ingenti discrimine te eximit? Iudica tu ipse

quanti facere debeas castitatem, quæ & fidelis tua est amica, & tuorum hostium capitalis hostis? Vide, num conueniat te ei fauere, cum tanto fauore & auxilio te prosequatur. Ingratus sis, si eam non eligas in tui cordis gubernatricem, vt illud ab omni impuritate conseruet immune, & à versuta concupiscentiæ imposturis defendat. Qui non agnoscit miseriam suam & periculum, non est sollicitus de adiutore.

Quod necessarium & perutile sit religiosum esse castum.

• CAPVT XVI.

IN quavis re candida & pura minima etiã apparet macula, quoque candidior & nitidior fuerit, hoc clarius se prodit. Sic in vita religiosa, quia candidissima est & purissima, minimus etiam honestatis defectus facile in oculos incurrit, & aspicientes offendit. Seculares habent religiosos pro quibusdam virtutum speculis. Speculum autem, nisi nitentur & splendeat, offendit. In aliis virtutibus leuis lapsus nunquam tantum offendit, vel tantum damnum facit in religioso, ac lapsus in castitate. Religiosus non facile nominis sui iacturã facit, si aut, quia
natu.

natura cholericus est, nonnihil delinquat in mansuetudine, aut non admodum sit liberalis, aut vanam aucupetur gloriolam, & non sit perfectè humilis, aut in similem aliquem defectum labatur: at si vel minimum delinquat in castitate bonæ opinionis famam continuo obscurat. Nam prudens omnis iudicat, religiosum, quantumvis tenaciore & duriorē, posse esse sanctum. similiter natura biliosum, vel nonnihil curiosum, posse tamen esse pium & deuotum, at dum ventum est ad castitatem, contrarium elicitur. nempe sanctitatem esse non posse, vbi sit incontinentia: nec synceram posse esse deuotionem, vbi regnent animi perturbationes. Non potest esse spiritus, vbi dominatur caro. Deindè aliarum virtutum defectus facile excusantur; vel quod proueniant à complexione naturali, vt cholera, vel quod bono fine & intentione acciderint, vt est parcitas vel tenacitas. At concupiscentiæ carnalis lapsus ab omnibus condemnatur, excusatur à nullo.

OMNES arbitrantur religiosos esse quasi si salem terræ, & lucem mundi, vt scriptura *Mat. 5.* mea loquitur. & idcirco opus habent laborare vt veræ salis & lucis proprietates in ipsos conueniant. Sal acrimonia sua exsiccat

N 3

hume

humores præseruat à putrefactione, sed si purum non sit, sed terra permixtum, non solum non præseruat, sed etiam citius putrefacit. Sic religiosus, si purus sit & integer in suis sermonibus & consiliis, facile serua-bit alios, si autem impurus sit & inquinatus aliqua carnalium cupiditatum labecula, prauo exemplo facile alios perdet. Lux quoque seruit ad illuminandum, & demonstrandum pericula, & præcipitia, sed si candelæ ellychnium sordidum sit, vel humidum, plus fumi reddet, quam lucis. Si religiosus, si corde purus non fuerit, non solum non illuminabit, sed obscuriorem etiam reddet viam, vt ipse, & omnes qui ei adherent, turpiter impingant, ac demum plus factoris quam luminis subministrant. Difficiliter conseruabit, & illuminabit alios, qui se conseruare & illustrare negligit.

PRÆTEREA vita religiosa tam tenera & delicata est, vt non solum puritatis defectus, sed minima quoque incontinentiæ suspicio multum religioso noceat. Nam qualis esset illa prudens matrona, quæ auxiliij consilijue capiendi causa adiret religiosum de intemperantia suspectum? Nonne inges-
miseria est, religiosum mihi consecratum
malè

malè audire in hac re apud seculares? Certè religiosus qui nihil pensi habet de bona fama sua apud proximum, nullum quoque fructum tert ex illo. O quàm grauitè delinquant religiosi, qui non cauent occasiones incurrèndi talis vitij infamiàm, sed persuadent sibi satis esse, si factò nihil mali designent, quicquid demum homines loquantur. Nequaquam immunes à culpà sunt, si vel occasionem talium detractationum præbuerint; tenentur enim non solum vitium illud fugere, sed etiam omnem illius suspicionem auertere. Cui dæmon displicet, is & depictum horret.

DOMO propria aliquem contra rationem exturbare non conuenit, nec salua conscientia religione fieri potest. Recordare, fili, cor tuum esse templum, & domum meam. Ego eius fundamenta ieci, & edificauit, & refeci, ac quicquid in ea pulchrum & preciosum est, à me est profectum. Vt autem hæc domus perpetuò niteret, egoque continuò in ea habitarem, illam castitati, tanquam fidæ & vigilantis custodi tradidi custodiendam. Quod si tu nunc velis me contra omnem rationem ex ea pellere, non facies sine maximo sacrilegio. Et si velis ex cordis tui

domicilio eiicere castitatem, vt in eo dominetur concupiscentia, id quoque citra graue crimen non potes facere. Qui eum exterminat à quo adiuuatur & honore afficitur, facilè incidet in manum alicuius, qui eum velut fatuum egregiè multet. Dic queso, quando votum perpetuæ castitatis edidisti, quid Deo sponderis? nonnè, quod esses deinceps omnibus carnalibus cupiditatibus, tum corporis, tum cordis bellum illaturus? nonnè promisisti te castum permanfurum vsque ad extremum vitæ spiritum? An non ergò tibi videtur necessario præstandam esse sponsionem, cum non possis amplius respicere retro? Non ignoras quid

1. Cor 3. meus Apostolus dicat. *Qui templum Dei violauerit, vel macularit, disperdet illum Deus.* Et si tu propter voluptatulam aliquam carnalem me è tuo corde exterminas, quo iure vis te à me recipi in regnum cælorum? Et si propter leuem illecebram sensuum inquinando cor, malè tractas castitatem, qua ratione exiges vt illa te perducatur ad Dei visionem, mundis corde duntaxat promissam? Intellige itaque nulla ratione tibi expedire, vt vel leuissimè contra honestatem delinquas, quia voto castitatis addixisti te nulla ratione læsurum puritatem castitatis, nec in magnis, nec in paruis. Neces-

NECESSARIUM insuper est religiosum ad perfectionē castitatis idē aspirare, quod professionem fecerit agenda vitæ spiritualis, quæ cum nō habeat hostem infensiorē concupiscentia carnis, non potest certē vitam ducere spiritualem, nisi carnem omnino spiritui subiecerit. Nam religiosus, qui verē est spiritualis, non solum alienus esse debet à vitio carnis, sed etiam abhorre ab omnibus quæ ex carne oriuntur, vel aliquod cum carne commercium habent. Itaque debet, & pravas cogitationes, & impuras suggestiones sedulò & vigilanter excludere. In colloquiis debet esse circūspectus, ut ne vel vnicum verbulum cum honestate pugnans effutiat. non oculos conicere in actus lasciuos, etiam si citra peccatum fierent. Atq; hæc ad mortificandam carnē iuvant. Verum animadvertas velim fili, carnē nonnunquam fingere se mortuam, cum mortificata non sit, simulare quoque se spiritui subiectissimam. At tunc prudens & spiritualis religiosus sedulò aduigilare debet; fingere enim ista solet spe commodorum, maiorisq; libertatis, & paulatim religioso persuadet, ut aliquid de pristina severitate demat, se paratam promptissimum spiritui præstare obsequium. Sed qui hic hallucinari

non vult, nec in fraudem induci ab astutia
carnis, vtatur consilio Patris sui spiritualis.
Non est fidendum inimico fingenti, quia
fingendo te prodit.

De castitatis religiosa utilitate.

CAPVT XVII.

Mat. 19. **F**ILI, quando ego in Euangelio sub Eunu-
chorum nomine laudaui eos, qui amore
mei spontè edunt votū castitatis perpetua,
(hoc enim est facere se Eunuchū, & propter
regnum caelorum se castrare) idipsum ego in-
tendebam, quia homo tali voto, quasi per-
acuto cultello vno ictu omnem potestatem,
occasionemque vsurpandarum voluptatum
carnalium abscindit. Quod enim amplius li-
citur non est, verè dicitur, fieri non posse.
Laudando autè hos meos castos Eunuchos
subiunxi. *Qui potest capere, capiat*: sciebam
enim non omnes intellecturos maximas
utilitates, quas continentia perpetua affert
religiosis. Omitto hinc, quod eius beneficio
infinite liberentur molestiis, & vilibus car-
nis insolentiis, quæ vbi vel minimum ob-
tinuerit imperium, etiam sapientes in bara-
thrum vitiorum precipites agit. Et si opum
externarum cura permolesta est, ob solici-
tudinem quam secum trahunt, multò sanè
mole-

melestior est concupiscentia, quæ cum domestica sit, sauciat fortius, & idè plagæ sunt magis lethales. Taceo quoque, quod liberentur multis afflictionibus, & fastidiosæ rei domesticæ curis, quæ tantam sapè molestiam afferunt, vt redigant ad desperationem. Patrifamilias incumbit prouidere suæ coniugi, liberorum rectæ educationi, filiarum deindè collocacioni in matrimonium, curare ne quicquam rerum necessariorum desit, vt quotidie victus in promptu sit, vt famuli & ancillæ suo munere ritè fungantur. Et quanquam omnes in familia probi sint, & modesti, tamen ærumnæ non desunt. quid ergò est, si in ea multi sint peruersi & insolentes? Prætermitto etiam, quod religiosi beneficio dicti voti liberi reddantur ab vxorum & filiorum suspicionibus, quæ ita subindè solent maritos excruciare, vt pœnè in insaniam vel amentiam redigantur. Denique abstineo à commemorandis innumeris aliis incommodis, & infaustis casibus, qui improuiso in familiis accidunt, & patresfamilias mirum in modum exagitare solent. Væ religioso, qui à tot tricis & laqueis immunis & solutus, non anhelat ad perfectionem sui status.

Casti.

CASTITAS religiosa ergò has omnes molestias, & inquietas cogitationes abscindit, facitq; , vt religiosus, tanquam cæli ciuis sua vocatione contentus tantùm rerum cælestium meditationi, suæq; salutis procurandæ vacet. Quod quã salutare sit, probè norunt ij religiosi, qui longè ab occupationibus dictis remoti, vitam cælibem & felicem ducunt. Norunt etiam afflicti seculares, qui magno suo damno & dolore quotidie experiuntur istas ærumnas. Et si aliud non esset, quàm cogitare quemadmodum placeant vxoribus, quomodo coram mundo compareant, qua ratione sanguine iunctis & cognatis faciant satis, hoc eis sufficeret ad crucem non exiguam vsque ad mortem sustinendam. Verùm religiosi casti non habent opus aliud cogitare, quàm quomodo mihi placeant. O quanto facilius est placere mihi quàm mundo? & quanto citiùs satisficit creator quàm creaturæ. Quisquis in hac vita plus placet Deo, in aula quoq; eius ad maiorem honorem euehetur.

I. Cor. 7.

DEINDE secularis matrimonio constrictus, non habet sui corporis potestatem, sed mulier est eius domina. Ita enim scribit meus Apostolus, & est verissimum, ac matrimonij lex id postulat. At nonnè hæc est quædã
serui-

seruitus? Seruire mulieri, nonnè dura seruitus est? cumq; non vno, non decem annis, sed morte tantùm finiatur, nonnè est perpetua? Fatendum quidem est, tribulatione leuiorem esse, quando homo incidit in mulierem virtute præditam, tamen non idcirco nomen amittit seruitutis. at quando incidit in vanam, impudentem & rixosam, quid aliud est quàm infernus? quanta mariti miseria? quod mancipium peius illo tractatur? Caterùm castus religiosus rem habet cum castitate, virtute scilicet benigna, negotium habet mecum, qui licet sim Dominus eius, tamen simul sum clementissimus Pater. Et mihi seruire per votum castitatis, non est aliud, quàm meritorum suorum cumulum augere. Infelix est, qui aliis seruiendo nullum lucrum facit, infelicior verò, qui etiam rerum suarum iacturam patitur.

ADHÆC qui cogitur noctu diuq; commorari cum fera crudeli & virulenta, luculento in discrimine versatur, ne aut morsu aut veneno conficiatur: sed si quis illi occludere possit os, vt neque mordere, neque virus profundere possit, faceret rem sibi nõ minus vilem, quàm pergratam. Fili, fera nulla ferocior aut violentior est carne nostra,

stra, cuius morsus & virus exitium conciliat animæ. cum ergò noctu diuque cum ea hæ-
rere cogamur, non dubium est, quin anima
nostra in magno versetur periculo. Ab hoc
periculo animam eximit castitas, nam su-
am Voti vinculo astringens concupiscen-
tiam, quæ est os belluæ, facit vt mordere,
vel venena fundere non possit. Commisera-
tione dignus non est, qui sinit se lædi à be-
stia alligata; nec meretur veniam, qui obla-
ta præsidia contemnit.

QVANDO in republica oritur tumul-
tus, ad eum sedandum necesse est, vt qui
eum excitauit ilicò comprehendatur; nam
cum plebs cæterumque vulgus nullo duce
nititur, per se statim diffluit, & tumultus
componitur. In religioso, qui similis est rei-
publicæ benè ordinatæ, excitatur tumultus,
quãdo pars animi inferior discrepat à supe-
riori. Ad sedandum ergò tumultum, tran-
quillandamque rempublicam opus est car-
nem, quæ populi dux est, & passiones in ani-
mam, ac sensuum cupiditates in rationem
conciat, in vincula conicere. Castitas autè
est illa, quæ votorum ope carnem in vincula
conicit, & custodiendo cor, quæ est religiosi
arx, tuetur Reipub tranquillitatem. Hæc v-
tilitas, quam Castitas religiosa efficit, tanti
momen-

momenti est, ut religiosus ea destitutus nihil distet à confusa quadam Babylonia

HINC verò nascitur & alia utilitas non inferior iam dictis. quod nimirum religiosus, quoniam beneficio castitatis obtinuit pacem in se & quietem, poterit etiam ab hostibus, qui foris sunt referre victoriam. Imperator belli, qui milites habet inter se consentientes, sibi que obsequentes, licet pauci sint, facile potitur victoria. Sic religiosus, si partis sentientis facultates teneat subiectas & obsequentes superiori, securè poterit manum cum hoste conferere, & sine dubio reportabit victoriam. Paucitas in exercitu concors longè præstat multitudine discordi. Et ideò dux belli eos in primis devincire beneficiis in acie debet, qui auctores sunt concordie aliorum & pacis. Sic in militia spirituali, religiosus, qui est quasi dux, magni facere debet castitatem, que militum promouet pacem. Facile superatur, qui antequàm cum hoste confligat, non prius militum animos ad concordiam reuocauit.

De amittenda castitatis periculis.

CAPVT XVIII.

FILII, nosti benè, castitatem esse magni precij & valoris gemmam, non minus mihi

mihi gratam, quàm tibi salutarem. Sed sciendum quoque est, multos esse prædones, & pariter inimicos, qui eam conantur tibi eripere, aut certè destruere ex odio quo in te flagrant. Itaque opus est te vigilare, & communitum esse contra eorum insultus. Neq; tibi plus æquo fidas, etiam si caro castitatis hostis sit ligata voto: tam enim est versuta & insolens, ut si non possit disruptis vinculis, quod semper conatur, euadere, tamen pro inueterato more suo, quantumvis ligata seditionem commoueat, quia rumoribus confisa, aut sperat se libertate donandam, aut vulnus aliquod lethale Castitati se inflicturam. Nec confide, castitatem, etiam si per aliquod tempus in cordis religiosi castro sedem fixerit, idcirco esse securam; nam & firmissima propugnacula expugnantur, & frequenter nimia securitas noxia est, eò quod securitas mater sit torporis & incuriæ.

PRIMUM igitur periculum impendens est proditoris: castitas enim cum septa sit utrisq; inimicis, domesticis & externis facile prodi potest. Quare aduigilandum est religioso, ne carni, inimico domestico, suppetias ferant externi. Fili, si lautè vis tractari in cibo & potu, & somno, quoad libet, indulgere,

gere, & nihilominus arbitraris te posse sarram rectam seruare castitatem contra libidinis insultus, falleris vehementer, quia hac via non aliud efficis, quam quod arma præbeas tuæ carni. Quid verò mirum est, si illa postea insurgat in spiritum? Quid mirum, si tentet disrumpere voti vincula, & exterminare castitatem, etiam si multo tempore perstiterit in domo? Vis carnem non lasciuire? castiga illam parcitate victus. Vis castitatem non prodi, non domo exturbari? adhibe ei custodes. Ieiunia & vigiliae boni sunt custodes, qui non solum eam custodiunt, verum etiam arma hostibus adimunt, ne possint insurgere. Quo amplius carni ablandiris, hoc illa validius se aduersus castitatem munit.

DOMINE, ad vitam tolerandam, & seruiendum diuinæ tuæ maiestati, opus profectò est, cibo, potu & somno quod autem inde caro insolescat, & insurgat in spiritum, vel castitatem, non est culpa nostra, quia hic finis propositus nobis non est. FILII, Ego non reprehendo ea, quæ ad vitam tolerandam, & labores nomine meo sustinendos sunt necessaria: quicquid enim ad cultum & gloriam meam dirigitur, benedictum est & laude dignum; tantum improbo superua-

O. canca,

canca. Non necessarius, sed immoderatus cibus potusue inflammat carnis concupiscentiam, & in periculum coniecit castitatem. Qui nimium comedit, non mihi, sed suae cupiditati seruit. Mihi placent, qui comedunt ut uiuant, mihiq; seruiant; contra magnoperè displicent, qui uiuere videntur ut comedat. Non ita fecerunt quidam carissimi mei serui, quibus manducare erat poena, somno indulgere fastidium. Atque in his castitas regnabat Moderatus victus prodest animae & corpori, & contra nimius nocet animae & corpori.

ALIVD periculum impendet ex sensibus, qui cum sint cordis, in quo castitas commoratur, ostia, firmo indigent praesidio, eò quod aequè mala ac bona ingressum per illa habere queant. Qui non gerit sedulam curam ianuae domus suae, saepè deprehendet aliquid tibi sublatum, aut intra illam offender, quod non optabat. Idcirco enim ostia sic fabricantur, ut claudi & aperiiri possint. Clauduntur hominibus ignotis, & qui damnum adferre queant. Aperiuntur notis & amicis, qui possunt esse adiumento. Religiosus non debet cuiquam aditum dare ad domicilium castitatis, nisi diligenter prius examinato. Sic fit in extremis

remis regnorum, ditionumue oppidis, & maximè vbi suspicio est de hostilibus insidiis. Vbi non solùm inquisitio instituitur in homines ingredi cupientes, sed etiam in eorum sarcinas, litteras & arma, ne quid noxi-um inferatur vrbi. Atq; hæc vigilantia non vituperatur, sed laudatur. Crebrò enim ne hæc quidem medetur omnibus incommo-dis; cum experientia constet nihilominus custodes portarum non rarò in fraudem induci. Cur ergò religiosus minus aduigi-lare debeat in custodiendis sui cordis por-tis, in quo omne bonum suum habet, atque vndè eius salus, vel damnatio pendet æter-na? Quis dicet nimiam esse vigilantiam, v-bi tanta hostium est copia? Qui suorum fenestras malè custodit, mortem reperiet in domo.

PRÆTEREA conuersari cum homini-bus lasciuis, aut parum castis, est se contere in manifestum castitatis discrimen. nam, vt experientia docuit, plures casti à lasciuis traducti sunt ad intemperantiam, quam la-sciui ad castitatem à castis. Ea enim naturæ humanæ cōditio est, vt post amissā semel vi-tæ integritatē in malū, quam in bonū pro-clinior sit, & instar agrotorū potius inhiet iis quæ gustū oblectent, quam quæ sanitati

profint. Si verò conuersatio cum huiusmodi hominum genere fortè oriatur ex affectione inordinata, grauiùs instat periculù. Nam si sola consuetudo cum hominibus parum pudicis periculosa est, quanti periculi erit conuersari cum affectione carnali? Qui foris prouocatur ab obiecto, & intus stimularur ab affectu, citò labitur, etiamsi sit spiritualis. Et ideò serui mei qui ardenti castitatis amore flagrarunt, simulatq; animaduertenter inordinata aliqua affectione se trahi ad consuetudinem parum tutam statim eam velut castitatis inimicam repudiarunt, imò absciderunt. faciliè siquidem claudicare discit, qui frequentiùs conuersatur cum claudis.

IDEM periculum affert lasciuorum librorum lectio, quia repugnant castitati. Nescio qua ratione excusari possit religiosus, qui talem pestem in cubiculo suo retinet. Venenum, licet cibus bonis permixtum, non desinit esse venenum, vel exitium afferre illud sumentibus; sic res impudicæ, siue pictura sint expressæ, siue in libris sanæ doctrinæ permixtæ, neq; turpitudinis nomen amittunt, neque desinunt obesse spectantibus, legentibus vel audientibus. Et si secularibus bona conscientia permitti non potest
tali-

talium librorū lectio, qua ratione permit-
tetur religiosi castitatem professis? Quod
in libris legitur, hoc in corde ruminatur, &
quod in corde ruminatur, facile in affectu
retinetur.

EST & alius hostis castitatis, hoc magis
pertimescendus, quò ægrius cognoscitur.
Nimia videlicet securitas & confidentia re-
ligiosi in sua continentia. Hæc enim mul-
tos impulit in lapsum, nec mirum, quia est
superbiæ filia. Qui vult esse castus, & peri-
cula non fugit, nimis de se præsumit. Non
ita fecerunt humiles & casti mei serui: sed
viribus suis diffisi, quicquid cupiditates car-
nis inflammare poterat, studiosè refuge-
runt. Nimia securitas, ut non faciat religio-
sum temerarium, saltem facit negligentem
& incurium, quorum vtrumque non parvū
creat periculum castitatis. Qui sibi nimi-
um præfidit, facile se exponit periculis, &
idcirco sæpe inducitur in fraudem, & iactu-
ram maiorem, quàm putabat, facit.

*De mediis ad conseruandam casti-
tatem idoneis.*

CAPVT XIX.

FILII, in præliis, quæ inter homines gerū-
tur,

tur, vtile est nunc se in conspectum hostis dare, nunc minoribus copiis eum lacessere, solet enim audacia animos hostiles deiicere & in fugam compellere. Verum in hoc bello spirituali, vbi cum carnis vitio dimicandum est, fuga potius quam congressu, victoria obtinetur. Nam qui conatur hostem suum inuadere, in maximum periculum se conicit ne vincatur, & ordinariè plus damni quam lucri facit. Neque mirum id tibi videri debet, quia in huius mundi conflictibus, dum impressio fit in hostem, animi militum magis accenduntur, aduersariorum verò languescunt. In hoc autem conflictu accidit contrarium, quò enim acrius concupiscentiæ restiteris, hoc illa ferocit magis, & inflammata continenter aut ferit, aut pungit: ac proindè consultius fugitur. Tu Salomone sapientior non es, qui quoniam occasiones non fugit, tam fædè lapsus est. Ioannes baptista, meus præcursor, etiam si in vtero matris esset sanctificatus, tamen vt omnes delinquendi fugeret occasiones, etiamnum puer in solitudinem se abdidit. Et tu qui neque es sanctificatus, neque tanta virtute præditus, vis inter medias occasiones te ingerere, & hosti resistere? Signum id manifestum, vel quod nul-

lana

lam tui notitiam sis consecutus, vel quod parui facias donum castitatis.

ALTERVM medium est, fædas suggestiones menti à dæmone obiectas citissimè repellere. Sunt enim velut plantulæ quædam, quæ nisi ilicò ex animæ horto effodiantur, mox agunt radices, crescunt, & simul producunt spinas, quæ animam pungant, & castitatem suffocent. Religiosus, qui turpes cogitationes, postquam eas animaduertit, à se non abiicit, indicat sibi eas placere: & si placent, qua ratione amare potest puritatem mentis, quæ talibus cogitationibus inquinatur? Si fædæ cogitationes etiam nocent, quamprimum exortæ sunt, quanto magis nocebunt si mora interposita conuauerint? Carbunculi licet minimi, si aliquânto tempore sub pannis delitescant & fâtorè excitant, & pannos lædunt. Si religiosi considerarent, quantis incommodis se liberent, si statim à primis initiis fædas carnis suggestiones profligent, nullus sineret paruulos Babylonis in cordis sui penentralibus crescere, sed confestim allideret ad petram. Nostra ignauia in exterminandis impuris cogitationibus, facit dæmonem diligentem & audacem in nobis contra castitatem tentandis.

IVVAT quoque ad castitatem conseruãdam, nonnunquam esse cæcum, surdum & mutum. Si enim verum est, non esse fas videre vel audire, quod non licet desiderare; quam causam habet religiosus, vt, dum in publicũ prodit, in omniũ occurrentiũ vultus oculos coniciat? relinquat hoc munus pictoribus, qui vt rectè vultus humanos expriment, necesse habent oculos in eos defigere. Bonus castusque religiosus potius sibi contemplandos sumit vultus, quales futuri sunt post mortem, quàm quales sunt in vita. Quid enim prodest, contueri ea, quæ parũ salutaria sunt, imò quæ impediunt rerum vtilium meditationem? Quò minus res huius mundi oculis, vel auribus vsurpaueris, hoc securiùs solatio castitatis perfrueris.

NON paruum adhæc ad puritatem mentis conseruandam adiuuentũ affert, otij fuga, quod vt castitati permolestum est, ita carni est gratissimum, quæ otio solet pinguescere, & consequenter in castitatem ferocior indies reddi. Otium agere est ostium patefacere furibus & prædonibus. Qui enim nihil curat, iacturam rerum suarum facere, is non aliud agit, quàm opportunitatem præbet diripiendi sua prædonibus. Qui
bene

benè est occupatus, nulli aures præbere solet nisi in rebus necessariis. Qui verò otiosus est, & recreationibus deditus, omnibus audientiam offert, æquè promptus ad secularia ac spiritalia colloquia. Sed si spiritalia sint, mox evanescent, si secularia & carnalia otio augmentur. Tu modo vide, num conueniat te esse otiosum, qui ad religionem non venisti, nisi ut multos sustineres pro Christo labores. deindè an congruat per otium aduersus castitatem patrocinari carni, cum voto Deo promiseris castitatem? Nonnulli in dæmonem culpam coniiciunt, quod nimium sædis cogitationibus exagitentur, cum potius ipsi sint culpabiles. ille enim tentando conatur occupationes ingerere iis qui nullas habent, ut officio suo faciat satis. Quare si illi semper pia aliqua actione distenti essent, dæmon locum non haberet, & castitas tutius conseruaretur. Velle vacare otio, & tentari nolle, simul cohærere nequeunt, quia nihil æquè ad spicula temptationum iacienda inuitat dæmonem ac otium.

SERVI mei, qui modo felices regnant in cælo, ad tuendam in terra castitatem in duabus maximè virtutibus, humilitate scilicet & penitentia se exercuerunt. Humili-

O s

tas

ras cordis, ceu pia mater, omninò conatur castitatem tanquam caram filiam suam conseruare. Probè siquidem illi serui mei intelligebant, admodum difficile esse ab homine superbo & arrogante saluam & incolumè teneri castitatem. Pœnitentia quoque conseruatricis est castitatis, quantum atinet ad corpus & idcirco mortificandæ carni admodum dediti fuère, hi ieiuniis, illi disciplinis, alij vigiliis, ciliciis, & id genus afflictionibus, scientes eas esse quasi antidota præseruatiua puritatis. Quando autem hæc remedia non iuuabant, adhibeant efficaciora. Vndè quidam ad extinguendum libidinis ardorem se in gelidissimas aquas immerferunt, alij in niues, alij in vrticas & vepres se nudos abiecère, alij digitos ambussère. Quibus actibus declararunt se magnos carnis inimicos, & fidos conseruatores castitatis. Non potest domari corpus, nisi adhibita aliqua seueritate. Corpus autem indomitum molestè fert castitatem, ac tandem vel prorsus abiicit, vel non diu eam custodit inuiolatam.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

In quo consistat obedientia religiosa.

Caput

CAPVT XX.

DOMINE, etiam si vehementer optarim hunc vitæ cursum sine lapsu & erratis transigere, tamen toties erro & labor, vt pudeam. In quibusdam rebus nimium festino, in aliis æquo sum cunctantior, nec statuere satis possum quid facto opus sit; multa etiam aggredior, sed euentu parum felici. **FILII**, in hac vita, nullus sibi sufficiens est, vt uiuat, quemadmodum debet, eò quod nullus ad eam cognitionis perfectionem peruenerit, vt ab omni errore sit immunis. Non constat tibi, quid cras futurum sit. Hominum corda tibi sunt ignota & inscrutabilia. Sed neque benè cognoscis te ipsum. Quomodo ergò sine lapsu vel errore villo poteris aut conuersari cum aliis, aut gubernare te ipsum? Qui iter facit in tenebris, si non labitur, impingit saltem, vel à via aberrat. Ac vt suppetat tibi sufficiens notitia, & lumen, vbi sunt vires & præsidia ad expugnandas difficultates, quæ crebrò incurunt, necessaria? Etenim tam vehementes sunt animi perturbationes, vt trāsuerfos rapiant etiam eos, qui humanæ naturæ conditionē excessisse videntur, nec ad eas coërcendas satis sint vires naturæ. Quod si in vita
natu-

naturali, in qua lumen rationis omnibus affulget, tot existunt errores, quod erunt in spiritali, in qua & minus supeditat lucis ac notitiæ, & grauiores occurrunt difficultates? Sic est Domine, sed nos in his tenebris manebimus omnis auxiliij, remediisq; expertes? **FILII**, in hac necessitate auxilium remediumq; præstare potest virtus Obedientiæ, cuius vulgare elogium est. **SINE, TEREGI**. Qui iter facit, nec videt quantum opus est, duobus indiget & facultate videndi prædito, & viarum gnaro. Obedientiæ virtus est, quæ religiosum in manus meas tradit, quò cum ducam & dirigam. Cumq; ego sim peritus viarum, eiusque anfractuum & difficultatum, quilibet religiosus securus sit, se fideliter à me ea via ducendum, quæ eum ad salutem æternam perducatur; modo ille ex parte sua se regi, & vsque ad terminum deduci sinat. Religiosi omnes, dum renunciant mundo, incipiunt me sequi: sed multi arbitantes se non indigere meo ducatu, me deserunt, non meo sed tuo damno. Non satis est incepisse Si tantum initio huius viæ obicerent se difficultates, causam aliquam se excusandi haberent; sed cum eadem se offerant toto itineris decursu, non est à duce recedendum. Qui viarum ignarus du-

cem contemnit, declarat, se parui facere errores.

IN mundo, ego gubernō & administro omnia. Per me reges regnant, & Principes imperant. Per me legislatores iusta decernunt, & Iudices iustitiam administrant. Cumq; ego mandauerim obedientiam prestari Dominis temporalibus, quisquis eorū mandatis resistit, mihi meq; que ordinationi resistit. Idem est in nauī religionis, in qua quoq; ego sum gubernator supremus. Ego gubernō eam, & in portum dirigo. Ego onera distribuo nautis, & officia assigno iis, quibus alij obtemperare debeant. Et cū ego in vnoquoq; eorum sim, & decernam quid cuique subdito agendum sit, obedire illis, non est aliud, quam obedire mihi; eodemque aspernari, est aspernari me. Omnes religiosi in nauī quidem sunt, sed non omnes nauigant feliciter. Qui in illa se gubernari permittit expers periculi nauigat, nec habet vndē turbari queat, ac proindē, vt vulgo dicitur, iter facit dormiendo. Verūm qui nō sint se ab alio gubernari, agrē hāret in nauī. nunc dolens se conscēdisse nunc optans exilire in littus, & animo deiectus nulla ex re capit voluptatem. At vndē hoc nascitur? quia optaret nauē dirigi pro arbitrato suo.

Hoc

Hoc autem est velle regere, & non regi. Væ religioni, quæ se accommodat quorumlibet subditorum propensione & voluntati. Qui nauigio proficiscitur, debet cū formare se nauigio, & non contra, nauigium ipsi. Nō esset bona profectio, nec portum vniquam teneret nauis, si nauigatio secundū cuiusque ingenium institueretur. Viuere in pace non potest religiosus, qui alienum detrectat imperium.

Aues accuratiùs cognoscere, quid sit Obedientia? Non est aliud, quàm sepultura. Vis intelligere, in quo consistat obedire? consistit in sepultura propriæ voluntatis. O beatum religiosum, qui verè affirmare potest. Iam sepeliui meum velle & nolle. iam iusta meæ voluntatis libertati persolui, quia à se abiecit, quicquid aditum ad cælum poterat retardare. Nemo potest suscipere crucem suam, & me sequi, nisi prius voluntatem suam humauerit, & seipsum abnegarit. Religiosus retinens suæ voluntatis, & faciens quod illi libuerit, mortuus mundo non est; & idè non pertinet ad religionem, quæ veluti vnica est, sic vna regi debet voluntate, nempe Superioris, ceteræ autem subditorum voluntates debent esse sepultæ: si enira secus fiat, non secus

ac ca-

accadaver insepultum, intolerabilem factorem edent.

Dico rogo fili, si quis nulla ex causa, solo arbitratu suo cadaver aliquot a multis mensibus sepultum exhumeret, nonne omnibus presentibus maximum incuteret horrorem, & se ridendum propinaret? Quid verò aliud est his ordinis constitutionibus, vel Superiorum mandatis non obtemperare, quam exhumere tuum velle & nolle, quæ duo cadavera in religionis ingressu tuo sepelisti cum firmo proposito ea nunquam extrahendi? An existimas te excusatum apud me, dum illa nunc appellas, possum & non possum. Illud non possum, quod dixisti tuo Superiori, non dixisti mihi. Ego perfectè novi quid quisque possit, vel non possit. Video etiam quid religiosus in ore, & quid in corde gestet. Atque item perspectum habeo, quando non posse, sit non velle ad effugiendum aliquod incommodum, vel laborem. Quamvis verò Superior falsam subditi excusationem acceptet, nec expendat, possitne verè perficere, vel non, quod imponitur, non idcirco subditus latari debet. Nam res tota non hoc loco consistet, sed suo tempore examinabitur à meo tribunali, in quo extrema

PROCUR.

pronunciabitur sententia, citra vllam spem
secuturæ appellationis. Homines in diu-
dicanda rei veritate possunt in fraudem in-
duci, at Deus, qui omnia explorata habet in-
tus & foris, non potest.

*Quam grata sit Deo obedientia re-
ligiosorum.*

CAPVT XXI.

FILII, minimè te latet, quis exitus fuerit
inobedienciæ Adami primi parentis ve-
stri, nempe vt non solum ipse è paradiso ter-
restri exularit, verum etiam cum tota poste-
ritate sua fuerit maledictioni obnoxius. La-
bores in terra, sudores ad vescendum pane,
dolores partus, omnesque aliæ ærumnæ,
quibus genus humanum affligitur sunt pœ-
næ & maledictiones inobedienciæ, quæ
cum sit filia Superbiæ alios fructus produ-
cere non potuit. Tu scis quoque quid secu-
rum sit ex obedientia Abrahamæ, vt nimirum
ipse non solum, eiusque familia tota, sed
omnes mundi gentes sint benedictæ in il-
lius semine, è quo nasciturus erat, qui sua
obediencia portas cæli ab inobediencia cõ-
clusas patefaceret: sic vt verè dici possit o-
mnia dona cælestia, gratias oēs & virtutes
esse

esse Obedientiæ effectus & benedictiones.

DEINDE, si obedientia cum expresso meo mandato coniuncta, quæ videtur hominem quasi compellere ad iussa præstanda, tam grata est, ut eam copiosè remunerem, quanto gratior esse debet obedientia religiosa, ratione cuius homo non ex imperio alicuius, sed sincero Dei amore incensus spontè, repugnante licet contraria propensione naturæ, se obligat ad præstanda mea consilia? Adhæc, cum non ignorem, hominem natum ad sublimia, proclivemq; ad designanda opera heroica, tamen cum video eum amore mei se abiicere, si mundi iudicio stemus, ad functiones viles & contemptibiles (licet apud me sint honorificæ & eximiæ.) cum item video eum non gloriam, applausumque hominum aucupari, sed potius sui despicientiam: cum video, quod se propria voluntate exuat, quæ fons est & radix omnium generosorum operum, quibus homo coram mundo summos honores promereri potest: cum rursus video, ut mihi placeat, eum se subiicere alteri homini natura æquali, & sæpè in religione eam iam iis quibus in seculo imperabat, quomodo, inquam, fieri potest, ut non intimo amore prosequar obedientes? ut ea obedi-

P

entia,

entia, quæ religiosos ad tanta amore mei præstanda excitat, non sit mihi gratissima? Quomodo non exaltem eos & eueham ad summas dignitates, qui vt amore mei obedi- rent, se etiã contra naturæ inclinationē eo- usq; demiserunt. Nunquã iacturã vllã facere potest, qui multum præstat propter Deum.

G R A T A insuper mihi est obedientia, quia subditos reddit tractabiles, & ad quẽ- nis Superioris nutum promptos & paratos. Nihil æquè solatur & iuuat Superiores, quã habere subditos tractabiles. O quàm mihi arridet religiosus, qui cum gaudio quic- quid superior mandarit, præstare aggredi- tur; & si rursus ab inchoato opere cessare iubeatur, eodem cum gaudio cessat, & aliud nouum promptè exequitur. E contra, nihil æquè contristat superiorẽ, & gemere sub o- nere gubernatiõis facit, ac habere subditos refractarios, & ad parendum tardos ac diffi- ciles. Bestia non tractabilis, haud facilè sinit onera imponi tergo, & postquam cum labo- re imposita fuerint, aut in terrã abijcit, aut tam impatienter deportat, vt ingenti vigi- lantia opus sit & cura, ne tandem ea excuti- at. Superior, qui difficiles & morosos habet subditos, non potest eis confidere. itaque, si quid eis, licet exiguũ, imperandũ sit, maiore

circum-

circumspectione opus habet, quàm si res sit cum animali indomito. Hinc fit, vt cū subditus alioquin reuereri & timere debeat superiorem suum, contrarium prorsus vitio dictæ inobedientiæ fiat, hoc est, vt Superior timeat subditum, quem, ne illi ansam vllam præbeat ordinem deserendi, aliorum cum offendiculo, suo relinquit arbitrio, nihil illi mandans, nulla in re arguens. O miseria deploranda. Ille in seculo vitam agebat prohibito, non impensis alienis, sed suis. in religione autem vult viuere arbitrato suo, & sumptibus meis, meoque sanguine: quod sicut citra iniustitiam non fit, sic nec impunè fieri potest. Qua ratione non odio prosequar inobedientiam, quæ tanta iniuria afficit religionem? Quomodo non displiceant inobedientes, qui suæ religionis sunt ruina? Non est hic status obedientium. Nā Superior cum obedientibus agit securè, sine arte, sine cæremoniis, fident illis, & si aliquid licet arduū, imperet illis, promptissimè exequuntur. Sine labore & facilè obtemperat, qui quæuis mādāta sine tergiuersatione amplectitur: at qui coactus cedit mandato Superioris, vel non exequitur illud, vel male exequitur, laboris quidem corticē retinet, sed nucleum, id est meriti obedientiæ fructum amittit.

P 2

Acce

ACCEDIT, obedientiam religiosam eò quoque nomine mihi gratam, quia multas alias in se continet virtutes, earumq; actiones exercet. Quando enim religiosus obedientie causa se subiicit aliis sibi æqualibus, aut inferioribus, exercet virtutem humilitatis. Si mandata superiorum quæ præstat sint difficilia, exercet virtutem fortitudinis, quoniam difficultatem superat. Si repugnent sensui, vel nature suæ, exercet patientiam, quia tolerat sibi aduersa. Si amore mei obediat, exercet caritatem. Et sic obedientia religiosos efficit similes mihi, quia mea obedientia quoque has virtutes annexas habuit. Cum verò similitudo sit causa amoris & benevolentiae, liquidò sequitur omnes obediētes mihi esse deuinctissimos. Quò plures virtutes coniunctæ sunt cum obedientia, hoc obediens plus promeretur.

ET I, donum eò gratius est ei, cui donatur, quo est rei præstantioris. Similiter gratius est, quando exclusa omni vtilitate donantis est tantum benevolentiae internæ donatoris argumentum & testimonium. Obedientia ergò cum sit donum libertatis humanæ, qua nihil præstantius vel nobilius religiosus habet, non potest non esse mihi carissima, eoq; carior, quod ad hoc donum offeren-

offerendum nullo respectu humano, nec à mundi vanitate, sed solo amore Dei fuerit impulsus. Quanquam & hoc mihi acceptū quoque facit donatorem, quòd propter donum tale in me collatum, non remaneat pauper, aut imperfectus, quia quò quis plus donat Deo, hoc ditior perfectiorque redditur.

FILII, religio est mihi cara & dilecta Vineæ regulæ, & constitutiones eius sunt vitium propagines, & quasi arbores, non sine labore à me in ea plantatæ. Operarij sunt, quos ego euoco ex mundo, & variis instrumentis & talentis in vineæ commodum instruo. Custos eius est obedientia, quæ quid cuique operario agendum sit, præscribit. Omnes ingrediuntur quidem vineam, sed non omnes vtilis sunt vineæ. Religiosi, qui colendis arboribus & vitibus dant operam, hoc est, obsequuntur legibus & ordinationibus, mihi sunt gratissimi, eisque singularem mercedem destinavi, quia illi ex parte sua religionem timentur & conseruant. Verùm inobedientes, qui vineam meam deuant, quomodo æquis oculis possum intueri? Quid enim aliud est præuaricari regulam, quam vitem aliquam refecare, aut aliò trāsferre? Et hoc quid est, nisi religionem dis-

soluere? Quare, quantum mihi displicet inobedientia, quæ religionē labefactat, tantum mihi placet obedientia, quæ eam ornat, custodit & adauget.

De excellentia & dignitate obedientie religioſe.

CAPVT XXII.

FILI, perpendiſſinè aliquando illud *S. FROM. 21.* Scripturæ meæ dictum, *Homo obediens loquatur victorias?* Scias, nullam vel maiorē, vel admirabiliorem in hoc mundo obtineri poſſe victoriam, victoria ſui. Hoſtes vinci poſſunt fraudibus & ſtratagematis, & vt vincantur vi & robore armorū, vincuntur tamē qui ſunt inferiores, aut certè in ipſo certamine inferiores facti ſunt. At in victoria ſui, non arte vel fraudibus vincitur, ſed virtute; & vincitur æqualis, quique ſemper manet æqualis. In aliis victoriis, quo victor ſublimiùs euehitur, hoc victus magis deprimitur & humiliatur. Sed in victoria ſui, victus pariter cum victore extollitur. In aliis certaminibus vincuntur inimici, & interueniente quidem odio, ira, indignatione. at qui vincit ſeipſum, vincit quendam, cui ſumma amicitia & amore eſt deuinctus. Et hæc difficultas

facultas facit victoriam gloriosiore. Eiusmodi est obedientis victoria, quia dum sponte se subiicit alieno imperio, vincit seipsum. Quae victoria tanto illustrior est, quanto difficiliore certamine, nempe contra naturam obtinetur. In hac victoria multae aliae apparent victoriae, Religiosus siquidem obediens facit, ut sensus, appetitus, & passiones rationi obsequantur: deinde ut ratio ipsa cum iudicio proprio subiiciatur arbitrio, iudicioque Superioris. Atque haec etiam non exigua est victoria, sceptrum triumpho cedere alteri. Qui in praelio terga vertit, excidit victoria in obedientia ille terga vertit, qui se alteri submittere tergiuersatur.

AD HÆC obedientia tam fortis est belatrix, ut etiam pro aliis virtutibus decerret, contra eos omnes qui aduersantur statui, perfectionique religiosae. Si concupiscentia bellum moueat castitati, prodit obedientia, efficitque, ut voluntas non consentiat, sed obsequatur voto de casta vita agenda semel emisso, Si cupiditas rerum temporalium insultet paupertati religiosae, obedientia contra insurgit, persuadetque, ut promissa de nulla proprietate usurpanda praestet. Quando demon aliquos incitat ad transgressionem legum religionis, Obedientia seu fida religionis

custos strenuè refragatur. Quoties perturbationes animi rationem oppugnant, obedientia compescit earum vim, facitque ut singulæ animi facultates pareant, cui debent. Ex his omnibus maximis victoriis facile conici potest, quanta sit efficacia & gloria obedientiæ, & quòd religiosus quàm diu secum habuerit tam generosam propugnatricem prosperè sit depugnaturus, multasque narraturus victorias. Belli dux si velit habere bonos milites, & ex hoste referre victoriam, rationem habeat eorum in primis qui fortiter manum cum hoste conferant.

QUANDO dæmon per inobedientiæ crimen Adamum impulit in lapsum magni facere cepit inobedientiam, & vexillo, quod in victoriæ signum erexit, inscribere hæc e-logia. *INOBIEDIENTIA filia superbia, Mater mortis, Ruina mundi, & Pestis religioni.* Et his multo tempore triumphauit. Verùm & ego erexi vexillum crucis, in qua per obedientiam moriens, expugnaui mortem, & damna inobedientiæ Adami humano generi illata restitui. Itaque e-logia vexilli mei sunt hæc. *OBIEDIENTIA humilitatis filia, Vita spiritualis mater, Mundi reparatrix, & Religionis conseruatorix.* Ex his e-logiis, quæ
verissi-

verissima sunt, potes cognoscere obedientiæ præstantiam. Nam cum sit humilitatis filia, cuius proprium est humiles exaltare, non potest non eiusdem proprietatis esse confors, ut liquet in me, cui felicissimam de omnibus inimicis meis victoriã, cum gloriosissimo triumpho coniunctam conciliauit. Fili, in religione nemo persistere potest, nisi pugnet. Qui non pugnat sub obedientiæ vexillo, necessario pugnare debet sub inobedientia, vexillo Satanae.

DYBIVM non est, voluntatis excellentiam, quæ mihi à religioso per obedientiæ votum offertur & sacrificatur, magnam vim adiungere sacrificio, cum voluntas non modo sit nobilissima hominis pars, verum etiam omnium facultatum animi regina. Huius autem sacrificij dignitas & valor hoc amplius augetur, quanto plura à me æstimator. Quomodo autem non possim non maximi æstimare obedientiam religiosam, in qua religiosus mihi offert libertatem suam tanti in mundo toto æstimatam? Non est donum hoc eiusmodi, ut in precio haberi non debeat. Si enim magni facio Paupertatem & Castitatem, plura certè facere teneor obedientiam. Paupertas siquidem mihi offert bona tantum externa & temporalia.

ralia. Castitas amore mei duntaxat corpus destituit voluptatibus corporeis, quæ eius bona sunt. At obedientia interna animi bona mihi offert, quæ quantum præstant corporis fortunæq; bonis, tanto oblatio eorû excellentior est, mihiq; gratior.

NEGARI non potest fuisse præstantissimam obedientiam Abrahamæ, quando ad primam vocem meam statuit vnicum, amantissimumq; suum filium Isaac mihi immolare. Nec minor fuit obedientia Isaac, qui ut obediret mihi in sui patris persona, passus est se vinciri, & magno animi robore in adolescentiæ flore caput à ceruice resecandum obtulit. Cæterum ego non minoris facio obedientiam boni religiosi, quæ obedientiæ amborum perfectionem in se comprehendit. Abrahamæ quidem, quia religiosus non inferiore amore prosequitur se ipsum, quàm Abraham suum filium. Filij verò, quia religiosus non minori fortitudine animi seipsum voto obedientiæ ligat, quàm Isaac passus est se ligari à parente. Nec minori promptitudine suum velle nolleque offert resecandû gladio voti spirituali, quàm Isaac collû gladio materiali. Ex discrimine deindè quod intercedit inter Abrahamæ & religiosi obedientiam apparet hanc illi antefere-

ferendam. In illa enim Abrahamæ fuit mandatum, in hoc consiliū, illa tantūm fuit in voluntate, hæc in voluntate & factō, actus illius duravit ad breue tēpus, huius toto vitæ tempore. Fili, vis superare obedientiam Abrahamæ? da operam vt in omnibus promptè obedias, quia Deo non minus placet obedientia in paruis rebus, quàm in magnis.

PRÆTEREA certum est opus nullum, etiam si iudicio huius seculi reputetur honorificum, tamen nullius apud me esse precij, si non sit conforme diuinæ voluntati. Exiget aliquis omnia bona sua in pauperes, patiatur persecutiones & opprobria, occumbat pro fide. si hæc & similia opera non fiant secundū meum beneplacitum mihi grata non sunt, nec meritoria. Obedientiæ autem virtus, sicut & charitatis sororis eius facit, vt religiosus opera sua voluntati diuinæ conformet, ac consequenter reddit & meritoria. Adde tunc creaturam ratione præditam dici perfectam, quando voluntati diuinæ acquiescit, nec aliud vult, quàm suus creator velit. Qua autem alia virtute religiosus efficitur promptus ad parendum voluntati diuinæ, quàm obedientia? Quis impellit religiosum, vt nec minus, nec amplius velit, quàm creator suus, in quo

CON-

consistit vera perfectio, nisi obedientia? O, si religiosi omnes tanto amoris affectu complecterentur obedientiam, quantum eius meretur nobilitas, in maiori precio estimationeque foret, in religionibus quam nunc est, & perfectorum religiosorum magna afflueret copia.

*De utilitate, quam obedientia
affert religioso.*

CAPVT XXIII.

DOMINE, quamuis multas, & eximias utilitates religiosus hauriat ex obedientia, tamen mihi videtur multò consultius fore, si tu ipse citra hominum Superiorum operam omnia imperares & ordinares: pròptissimè enim tibi obsecundarem, nullus esset locus obmurmurationibus, nec tu ullam occasionè conquerèdi præberes. breuiter, gubernatio tua esset suauissima. Quod si hoc non videatur fuisse conueniens, operæ precium saltem facturus esses, si nos regeres per angelum, quem, vti maiori esset fide & auctoritate apud nos, ita maiori eum reuerentia, quam homines, coleremus. **F**ILII, totus ille sermo tuus ex proprij amoris fonte profluxit. Si religiosi essent spiritus, congruens

gruens esset eos gubernari vel à me, vel ab aliquo angelico spiritu, sed quoniam compacti sunt ex corpore & spiritu, conuenit vt gubernentur ab homine sui simili, ac idem postulat suavis prouidentia qua tota huius mundi vniuersitas gubernatur. Quando ego mundum ad veram fidem traduxi, non misi angelos, sed homines, & per homines illum guberno. Religiones quoque à me fundatæ sunt, non per angelos, sed per homines, & idcirco conueniens est eas per eisdem gubernari. Si hic angelus esset superior, quoties audirentur hi vel similes sermones? Si hic angelus, Superior noster, expertus esset, sicut nos, carnis molestias, corporis onera, & huius vitæ ærumnas, maiori commiseratione nostri, quam facit, tangeretur. Quot excusationes locum non haberent apud angelum, quæ nunc locum habent apud hominem Superiorem? Quot scrupulis agitantur religiosi, si regerentur à superiore inuisibili? Deindè, quisque superior, potius exemplo vitæ, quàm voce auxilio esse debet subditis, at si foret inuisibilis Superior huiusmodi exemplum ad imitandum præbere non posset. quare præstat Superiorem potius esse moribus angelicū, quàm natura angelum.

Quod

QVOD autem dictum est Superiorem, si foret angelus, maiori amore & reuerentia à subditis exceptū iri, quàm si sit mortalis homo, verum non est. Cum enim ego sim in superiore; qui me non amat, neque obedit mihi in homine vices meas agente, minus me amaret & obediret in angelo. Reuoca in mentē, quid scripserit dilect⁹ meus discipul⁹ *1. ioh. 4.* Ioannes, Si non diligis, inquit, proximū, quē vides, quomodo Deū potes diligere quē non vides? Sic ego dico. Si non obedis Superiori quem vides, quomodo obedies Superiori, quem non vides?

AD HÆC, quantula humilitas esset, subiectū esse angelo? At dū religiosi amore mei se subiiciunt homini tanquā Vicario meo, eiq; tanquā mihi obtemperant, est actus nō solum magnæ humilitatis, sed etiā magnanimitatis, fortitudinis, fidei, spei & caritatis tanto gratior, quāto pluribus virtutibus est stipatus. Qui non submittit se homini propter me, minus se submittit angelo Mea voluntas est, quæ religioso est exequenda; parum autem interest, siue illa per hominem, siue per angelum declaretur. Non tam ratio habenda est eius qui loquitur aut imperat, quā eius cuius nomine loquitur & imperat. Ut aqua in hortum defluat necessarium est;

parui

parui verò refert, siue per canales plumbeos
siue per argenteos diducatur.

A VES nunc fili audire Obedientiæ utili-
tates? Dic mihi si quis per prærupta mon-
tium saxa iter faciens equo indomito insi-
deret, & præsto esset, qui operam suam in
equo manu deducendo inter tot pericula
offerret, nonnè, ille magno se beneficio
affectum putaret? proculdubio maximo.
Si verò nollet tanto vti beneficio, nonnè
amentissimus foret? Corpus nostrum, ob
passiones inordinatas, quæ in eo regnant
indomitum, est ille equus effrenatus. Erro-
res, qui in vita spiritali solent committi
sunt saxorum præcipitia. Superior est, qui
paratus est equum nostrum deducere, ne
labatur. Cogita ergò quanta dementia
foret religiosi, qui nollet à suo Superiore
in tantis periculis gubernari? Natandi im-
peritis salutare est inniti aliorum brachiis.
Religiosus, qui obedit, & sinit se ab alio
regi, natat in brachiis superioris, & natat
securus in periculis spiritalium flucti-
bus.

ALTE RA utilitas est, quod obedientia
religiosum eximat ab innumeris molesti-
is. Nihil æquè hominem excruciat, atque
anxiæ animi cogitationes, à quibus miser

im

in seculo degens, haud secus, quam vipera à
 fatu suo, quem in vtero gestat, mirè dilace-
 ratur. Et quamuis non incumbat illi cura
 domus, aut fortunarum, tamen sola de ne-
 gotiis & actionibus suis cogitatio nimis quā
 onerosa est. Nam non solum perpendere
 debet, quæ agenda sint, sed quando, quo
 modo, & quibus mediis. fastidium, deinde
 & crucem auget sollicitudo nimia de felici-
 rerum agendarum exitu & successu. Verum
 hæc nihili sunt, si conferantur cum actio-
 num spiritualium cogitationibus; hæ enim,
 vt mihi gratæ sint, conformari debent meæ
 voluntati, ac si cum caritate & discretione
 non fiant, à me minimè probantur. Obedi-
 entia autem liberat religiosum, ab his, aliis-
 que omnibus curis & cogitationibus, hoc
 vnum commendans, vt pareat, cætera in Su-
 perioris humeros coniiciat. Cuius muneri
 incumbit, quid, quando, quomodo, quibus
 mediis quæq; res agenda sit. Illius est omnia
 necessaria, tam in spiritualibus, quam in
 temporalibus rebus procurare. Ille enim
 est pater, ille mater, ille paterfamilias, dux & ma-
 gister. Quid aliud igitur est, viuere in obe-
 dientia, quam onus suum in aliorum hu-
 meros reiicere? Ingressus sis syluam inuiam,
 & ab immanitate ferarum non satis rutam,
 idque

idque magno onere grauatus, an non tibi gratissimus foret, qui non solum securè è sylua te educeret, sed etiam in sarcina deportanda iuaret? Quid verò aliud est obedire, quam cum duce securius iter emetiri, & sine onere? Qui non agnoscit beneficiū, nec æstimat, nihilque pensi habet, vndè veniat, aut quis eius auctor sit.

Es t & alia obedientiæ utilitas, quod quæ bona sunt, reddat præstantiora: & quæ exigui sunt precij, faciat in maiori haberi existimatione. Qui diuina gratia impulsus libera voluntate bonum opus exercet, benè facit, & pro magnitudine operis, & pia affectione mercedem promeretur. Sed qui ex obedientia eadem dispositione qua prior eadem opera exercet, multò meretur amplius, ob vim & efficaciam quam illi operi adiungit virtus Obedientiæ. Immò Obedientia tam fructuosa, est & potens, vt etiam præstantiora reddat opera necessariò præstanda, & quæ ex se nullam laudem merentur, vt sunt actiones comedendi, bibendi, dormiendi, ambulandi, quæ si ex obedientia à religiosis fiant, sunt mihi gratæ, easque remunerero pro magnitudine pij affectus & caritatis ex qua fiunt. Accedit, aliquando

9101

Q

secuto,

secuto, plus spiritualis questus facere, quam qui opas exequitur. Religiosus, qui desiderio tenetur ieiunandi ad carnem suam affligendam pro peccatis, & tamen propter obedientiam abstinet à ieiunio, plus apud Deum meretur abstinendo, quam alius ex pietate ieiunando. Hic enim tantum habet ieiunij meritum; ille verò non solùm ieiunij, quia ex parte sua paratus fuit ad ieiunium, sed etiam obedientiæ meritum reportauit. Iudica tuo modo, sitnè privilegium, quo obedientiæ beneficio ornauit religiofos, vrile & salutare? Quo verò animo putas me ferri in eos, qui tam parum affecti sunt ad obedientiam? O quantam iacturam facit bonorum spiritualium, qui suo arbitratu agit, quod per obedientiam agere poterat. Omne opus bonum, siue paruum sit, siue magnum, si obedientiæ sigillo sit obsignatum summi precij est æquè in celo ac in terra.

Quam conueniens sit Religiosum esse obedientiæ studiosum.

CAPVT XXIV.

FILII, si constituas apud animum tuum te metipsum, necessarium est, vt decernas

toto pectore obedientiæ virtutem amplecti, idoneumq; te reddas ad integram obedientiam præstandam. Recordare me formam ferui assumpsisse, vt submitterem me, obediremq; hominibus propter salutem tuam. Nec solum proposui, publiceq; sum protestatus me venisse non ad perficiendam meam, sed patris, à quo missus eram voluntatem, sed etiam tempestiuè capi patere legi eius, ad quam tamen non tenebar, mandatis, atque ad eorum obseruationem, nec pudore, nec dolore, nec mortis periculo fui absteruitus. Imò, sicut Euangelista meus Ioannes scripsit, obedientiam appellauit meum cibum, nec iniuria nihil enim erat in hac vita quod æquè me oblectaret, ac mei Patris cælestis voluntas; sic prorsus vt quicquid amarum & acerbum incideret, dulcesceret. Qua de causa passionis calix qui humanitati erat amarissimus, promptissimè à spiritu, velut suauissimus, est acceptatus, quia manu obedientiæ per Patrem porrigebatur. Quis ergò religiosus iure poterit repudiare obedientiã, quæ mihi fuit cibus? Malum signum est, quando Domini cibus displicet seruo.

At quid demùm esse potest fili, quod tibi non arridet in Obedientia? An fortè quod animaduertas te subiectum homini? aut quod

Q 2

erube-

Ioan. 4.

erubescis alieno parere imperio? Ego sum
 vniuersitatis huius Dominus, sum Patris ce-
 lestis sapientia, & tamen hominibus subie-
 ctus fui, nec obiter tantum, aut paucis vici-
 bus, sed indè à prima ætate vsque ad igno-
 miniosam crucis mortem. Neque dunta-
 xat obediui hominibus iustis & probis, vt
 meæ matri, & Iosepho meo nutritio, sed e-
 tiam iudicibus iniquis, vt Annæ, Caiphæ,
 Herodi & Pilato, qui cum scirent me iniu-
 stè accusatum, nec posse aliquid eorum,
 quæ improbè obiicerentur probari, tamen
 me condemnarunt ad spinas, flagella &
 crucem ipsam, totumque nulla appellatio-
 ne facta, nulla apologia adhibita, imò nul-
 lo verbo edito patienter toleraui. Obtem-
 peraui quoque peruersis eorum ministris, qui
 sine causa mihi infregerunt colaphos, vul-
 tum conspuerunt, & per vias publicas hinc
 indè cum summa ignominia traxerunt. De
 quibus omnibus nihil sum conquestus, imò
 cum possem omnia vindicare, & ob summam
 iniuriam mihi illatam iustissimè illos casti-
 gare, tamen me continui, & promptè o-
 mnia quæ mihi mandarunt, sum executus.
 Age dic mihi, an tibi adhuc durum sit & a-
 sperum obedire? Tu non es ob obedienti-
 am alligatus columnæ, & flagellatus, sicut
 ego.

ego. Tu non es manibus in terga reuinctis, funeque in collum iniecto per publicas vr- bis plateas tractus, sicut ego. Potestne fieri, vt pudeat te obtemperare in rebus bonis, quæ in tuam laudem meritumque redun- dant; postquam ego Dominus tuus obtem- perauit in rebus malis, in meum dedecus, tor- mentum & ignominiam cedentibus? Ra- tiocinare nunc tecum, vtrum conueniat potius promptè obsequi Superiorum man- datis, an verò reniti, si quid imperetur parum tuo palato gratum. quod etiam si factu sit facile, inimicus tamen efficiet, vt appareat arduum & difficile, vt vel prorsus non pare- as, vel meritum saltem obedientiæ perdas. Exemplo esse possunt Adam & Eua paren- tes primi: quibus cum à Domino mandatū datum esset, vt abstinerent à fructibus vnius arboris in paradiso existentis, quod non e- rat graue & difficile, cum suppetere ibidem aliæ arbores multæ fructibus onustæ. At callidus humani generis hostis in animis eorum effecit, vt videretur equo durius mā- datum, & facilius eos perduceret ad præua- ricationem. Non debet difficile videri seruo- rum via inire, quam Dominus eius cum multo maiori ante ipsum discrimine est in- gressus, & quamuis iter periculosum foret,

Q3

modo

modo impossibile non sit, conuenit vt perficiat.

FILI, quamdiu auicula libera & soluta vagatur in cāpis facit quod libuerit: at quando capta est, & in caueā inclusa, facit quod voluerit Dominus. Cum degeres in seculo, viuebas arbitrato tuo, comedebas quando libebat, faciebas quicquid placebat, quia eras tibi ipsi Superior; quod tunc congruens erat; quandoquidem in mundo professionem omnes faciunt, vt quisque suo nutu & modo gubernetur. At quando seculo renunciaſti, delegiſti tibi alium Superiorem, qui locum meum obtineret, ac professionē feciſti non ex arbitrato & iudicio tuo, sed alieno vitam instituendi. Qui ergo in religione existens pergit viuere modo suo, quē admodū faciebat in seculo, declarat se nondū è seculo ad religionem demigrasse, aut foris quidem demonstrat se religiosum, sed intus & in cute est secularis, vel potius neuter est, nec religiosus, nec secularis. Vbi non est obedientia, ibi non potest religio nomē suum tueri: quia nec subditi diu conseruari possunt, cum non sint cum capite coniuncti. Præcipuum ciuitatis propugnaculum est concordia & vnio ciuium. Sic vnio subditorum cum superiore capite suo, quam efficit

efficit obedientia, est salus religionis. Vbi obedientia est, est consensus, consensus autē conseruat & corroborat quamuis congregationem multorum. Apostoli mei numero fuere pauci, & in conspectu mundi abiecti, tamen magna fecerunt, quia fuerunt concordēs, & mihi suo Superiori tam obsequentes, vt ne perderent obedientiam, maluerint perdere vitam; si modo obediens mori potest. Quare qui negligit obedire etiam in rebus paruis, non cognoscit obedientiæ valorem, sicut cognouerunt Apostoli & Apostolorum magister, qui potius parati fuerunt perdere vitam, quam deserere obedientiam.

IN militia seculari tanti fit obedientia militum erga belli duces, vt nonnunquam ob leuissimam inobedientiam morte mulentur. cum tamen qui nomē dant militiæ nullum votū obedientiæ faciant, sed tantū iurati spondeant se hosti bellū illaturos, & urbem vel propugnaculum defensuros. Si ergo militia temporalis tam exactam postulat obedientiam, nec vllam etiam in rebus exigui momenti inobedientiam impunè permittit, quantam meritò requirat militia spiritualis & religiosa, in quam nullus admittitur nisi religione voti se astringat

Q4

gat

gat ad Obedientiam? Quomodo verò potest tolerari in hac vlla inobedientia, cum huius militiae ita proprium sit obedire superioribus, vt sublata obedientia, militia spiritualis tota concidat.

SUNT nonnulli, qui Superiorem quidem aliquem non detrectent, sed nollent sibi aliquid ab eo, maximè si molestum & graue sit, imperari. Hoc desiderium non est boni & veri religiosi ad perfectionem tendentis: immò hoc est velle videri nomine religiosum, non factum, ac optare vt Superior sit statua, non homo. Alij volunt Superiorem esse sedulum in procurandis necessariis ad victum, vestitum, aliaque commoda pertinentibus, ac vt in omnibus euentibus eorum tutelam & patrocinium suscipiat. Verùm non optant eum æquè vigilantem in obseruatione disciplinae religiosae, quae tota pendet ab obedientia. Quod desiderium multò deterius est primo. Hoc enim optare, non est aliud, quàm velle, vt Superior subditos suos faciat non bonos religiosos, sed otiosos & ignauos, qui corpora quidem rectè curet, sed animam in via spiritali non dirigat: qui sit bonus socius, & bonus superior. Subditus, qui vult Superiorem suum non præstare boni Superioris officium, aperte
decla-

declarat se nec boni subditi officium præstare.

De primo obedientia gradu, qui consistit in executione.

CAPVT XXV.

FILI, non arbitreris te multum præstitisse, si quando executus fueris superioris mandatum: hic enim infimus obedientia gradus est, & omni subditorum generi communis, siue sint mancipia, siue serui. Immo deprehenditur quoque in animalibus brutis, quæ vadunt, quocumque dux ea perduxerit, & faciunt, quicquid libuerit ei qui eorum curam gerit. Miser religiosus est, qui dum non paret superioris voluntati, minus facit, quam animalia bruta. Quamuis autem hic primus Obedientia gradus, qui consistit in executione eius quod mandatur ex se sit infimus, tamen si, quemadmodum conuenit, seruetur, mihi est pergratus. Obedientiam meam, quam Patri cælesti præstiti quatuor conditiones gratiorem reddiderunt. Promptitudo, integritas, fortitudo & perseverantia. Eadem acceptam reddunt obedientiam religiosi, & hoc faciliores sunt, quod ex voluntate ad me imitandum cupidiorè proueniunt.

Qs

Obe-

Obedientiam non præstare celeriter & cum promptitudine, defectus est, qui mihi non parum displicet. Qui si nascitur ex voluntate frigida & languida, hoc displicet magis, quia effectus est malus, & causa peior. Cui tempus est præstandæ obedientiæ, & præstare differt, temporis iacturam facit, & se in periculum coniicit, ne mandatum exequatur. Si verò religiosus differt obedire, eò quod in sua aliqua re particulari sit occupatus, plus mihi displicet, quoniam se, negotiaque sua anteponebat negotiis Superioris. Verus obediens, ut perfectè obediat, negotia sua inchoata & imperfecta relinquit. O quantoperè mihi placent religiosi, qui etiam signo dato ad agendum aliquid quod regula vel Superior præscripserit, etiam piis operibus desertis, continuo aduolant. Imò singularem apud me sibi gratiam conciliant, si ut obedientiam præstent, colloquium etiam mecum in oratione inchoatum interrumpant. Expende tu modo, quam exiguam apud me gratiam ineant, qui amore proprio excæcati, ne suis vel commodis, vel recreationibus destituantur lenti sunt & tardi in opere perficiendo, quod à Superiore iniungitur. Plus verò offendor, si cunctatione eadem

vran-

vtantur, dum ad orationem, aliaue exerci-
 tia spiritalia campanâ signū datur. O quan-
 tum sibi nocent & communitati huiusmo-
 di, maximè quando notatum est eosdem,
 dum ad res corpori commodas, vt cibum,
 potum, recreationes vocantur, nihil cun-
 ctari, esse impigros & promptos. Eos sanè
 præstaret, nunquam prodire in publicum,
 nam vbi iusta causa non occurrit eos pur-
 gandi, ibi manifestum datur scandalum.
 Qui ob crimina sua triremibus sunt addi-
 ti, tam prompti & expediti sunt ad obse-
 quendum, vt vix signo dato res iam perfe-
 cta sit. Imò sic ad exequendum sunt cele-
 res, vt dum rem agunt, vociferentur cam-
 peractam. Et quanquam flagrorum metu
 tam diligentes sint & impigri, amor tamen
 diuinus promptiores in hoc genere reddere
 deberet religiosos, quippe cum amor forti-
 or & efficacior sit metu. Neq; id solū ap-
 paret in triremibus, in quibus cernere est
 catenas, & nautas scuticis armatos, sed eti-
 am in magnorum Dominorum aulis. Que-
 ro enim, quid reddit famulos ad Domino-
 rum vocem tam alacres & expeditos? An
 spes mercedis? at ea copiosior est apud me.
 an amor quo dominum suum complectun-
 tur? at longè ardentior amor mihi debetur.

nam

nam bonitas, quæ amoris causa est, longè est in me excellentior, & præmium quod à me expectatur, est sine comparatione maius. Tarditas certè religiosorum omnis oritur ex defectu amoris. Si subditi impensius affecti essent ad superiorem, diligentiores quoque forent in obedientia exequenda. Quo in genere, filij huius lucis prudentiores, promptioresque sunt filiis lucis.

ALTE RA conditio est, vt obedientia sit integra eiusmodi enim mea fuit obedientia. Religiosis certè satis esse deberet ad integritatem hanc amandam, si perspectum habeant, hanc meam esse voluntatem, & talem esse Superioris intentionem, vt integrè imperata præstentur. Sunt qui tantum parati sint obsequi in rebus magni momenti, non item in paruis. Aliis verò videtur satis, si partem earum rerum, quæ à Superiore præscribuntur, perficiant, prætermiſſis reliquis. Ego sanè ignoro, quis eos iudices vel interpretes obedientiæ fecerit. Nec sat scio, vndè illi didicerint, non esse necessarium omnibus Superiorum decretis, vel mandatis parere. Dicant quæſo, quando votum edidère obedientiæ, cogitarint nè obediendum esse in omnibus, an in aliquibus tantùm? an intellexerint semper obediendum, an tantùm
breui

brevi tempore? Et ut intellexerint non in omnibus, & certo tempore tantum obsequendum, quis tale votum acceptavit? Ego non dimidiata, sed integræ obedientiæ votū acceptavi. Si famulus aliquis partem tantum eorum quæ à Domino imperata sibi forent, exequeretur, cum posset totum, non diu retineretur in domo, & ut retineretur, in ratione reddenda facilè appareret, vter alteri aliquid deberet, famulus nē Domino, an cōtra? Non mercede, sed pœna dignus est, qui non servit ad voluntatem Domini. Multi in religione degunt, cum quibus ratio inibitur tandem in fine, & tunc intelligitur, mereantur nē præmium an pœnam, qui integram obedientiam non præstiterunt.

TERTIA conditio est, ut obedientia fiat cum fortitudine. Non mihi placet religiosus, qui demonstrat fortitudinem animi in obediendo, dum imperantur facilia, aut libenter obedit, dum prosperè res eunt, & Superior iubet ea, quæ arrident palato. Non est hæc vera fortitudo, nec fortis obediens hac via rectè probatur. Vento prospero flante, qualibet naui navigatur, & via plana quilibet etiam infirmus iter facit. Fortitudo obedientis cognoscitur in rebus arduis & difficilibus, ut quando perferenda
incom-

incommoda, & dolores, vt cum afflictiones
 occurrentes non retardant ab obedientia
 præstanda, cum in vincendis difficultatibus
 animus erigitur. O quam insipienter agis
 fili, dum, ne crebrius aliquid tibi impere-
 tur, difficilem te demonstras in exequenda
 obedientia, ea opinione deceptus, grauari
 solere pluribus officiis & laboribus, qui
 semper se promptum & facilem in obsequen-
 do declarat. Quid enim hoc aliud est, quam
 accusare Superiorem indiscretionis & im-
 prudentiæ? quam repellere à se locuple-
 tissimam coronam? Si tibi impertio sani-
 tatem & vires ad tolerandos labores, cur
 eos tantoperè reformidas? An ignoras tu,
 quo plus augetur labor, magis augeri me-
 ritum? cur ergò finis te vinci ab ignaui-
 a? Non est hæc fortitudo, sed malitiosa incur-
 ria. Non sic ego feci, qui cum possem
 te ad salutem perducere per media facilia,
 tamen ob maius commodum tuum elegi
 difficillima, vt fuit mors in flore inuentu-
 ris; nec elegi quamlibet mortem, sed igno-
 miniosam & acerbam, quam scilicet tot,
 tamque dira tormenta non solum contu-
 meliosa, sed etiam atrociora antecesserunt.

QVARTA conditio est Perseuerantia,
 quæ si desit, nulla obtinetur corona, nul-
 lum

lum est obedientiæ meritum. Ego viam Obedientiæ decurri vsque ad mortem, omnibus difficultatibus & impedimentis contemptis & remotis, quæ in via occurrunt. Apostoli mei quoque in obseruatione præceptorum meorum in finem vsque vitæ perstiterunt. Itaque qui ob inconstantiam, vel commodum aliquod suum, aut alium respectum humanum negligit obedientiã præstare, meus discipulus non est. Incipere, & postea citra iustam causam non exequi obedientiam, puerorum est, non religiosorum.

De secundo gradu obedientiæ, qui pertinet ad voluntatem.

CAPVT XXVI.

FILI, voluntas tua est potentia cæca. tu quoque sæpè passionibus tuis excæcaris, quare non potes esse dux illius, ne ambo in foueã cadatis. Necessè est igitur, vt mihi innitatur, eiq; qui locum meum in gubernando sustinet. Atq; hoc exigit secundus Obedientiæ gradus: nēpè, vt non modo tuã voluntatē subiicias Superioris voluntati, eiq; tuã conformes, sed vt illius voluntatē facias tuã; quod consequere, si Superioris voluntatem animæ.

animæ.

animæ tuæ inferas. Rami duo qui ex hoc furculo prodeunt, nimirum velle, & nolle Superiorum, sedulò sunt conseruandi, & si fortè aliud germen erumperet, subitò resecandum esset, ne vigorem adimat furculo.

O B E D I E N T I A, quæ ad hunc gradum secundum pertinet, tres proprietates requirit, quæ illam gratam mihi reddunt & acceptam. Vna est, vt sit voluntaria. altera, vt hilaris, tertia, vt feruens. Hæ tres proprietates hostem communem habent, à quo non parum exagitantur, qui dicitur repugnantia. Religiosus, qui non expugnat hanc repugnantiam, facilè vincitur, quia nequit obedire hilariter & feruenter. Et si repugnantia à parte superiore proficiscatur, tollitur quoque voluntarium.

V E R V M dic mihi fili, vndè nascitur tuæ repugnantia, quæ in præstanda obedientia te tam morosum & difficilem reddit. An fortè indè, quod existimas te subiiciendo Superiori iacturam facere libertatis & honoris tui? Si idcirco doles, & dolor repugnantiam creat; non dolendi, sed gaudendi potiùs causam habes: quandoquidem (vt aliàs tibi dixi) qui amore mei se submittit Superiori, submittit se mihi, Domino
omni-

omnium; quæ in re non parum suam existimationem & honorem adauget, cum rem faciat homine generoso & magnanimo dignam. Ac dum amorem proprium quasi pedibus conculcat (quod nec omnium est, nec multorū) prorsus declarat, quanti me, meique amorem faciat. Si ego Dominus maiestatis amore tui me subieci hominibus, eisque toto pectore obtemperauī, cur tu contristaberis, dum subicis te vicario meo? Considera fili, quod hoc sit esse subditum. considera te ad religionem non venisse ad imperandum, sed ad obediendum. Si tu agnosceres in voce Superioris vocem meam; & si perpenderes obedire Superiori, esse obedire mihi, exultares tibi aliquid ab illo imperari, & feruenter ac perlibenter illi obtemperares.

COGITARE deindè, quod in obediendo iacturam facias libertatis, luculentus error est, cum non solùm nō amittatur libertas, sed etiam perficiatur; siquidem beneficio obedientiæ conformatur & coniungitur voluntati diuinæ, quæ est regula infallibilis benè operandi: atque ideò quamdiu libertas humana ei coniuncta erit, benè operabitur. Nec dubium est, eam libertatem, quæ semper nititur bono, esse perfe-

R

ctiorem

Et tiorum ea, quæ nonnunquam adhaeret malo. Non perditur quod datur Deo, sed redditur securius, ne perdatur.

O B E D I E N T I A ergò huius secundi gradus, ut mihi grata sit, debet esse voluntaria, & non coacta. Sunt nonnulli, qui timent à Superiore occupari, & ideò varia effugia & diuerticula quærunt, nunc occultando se, nunc excusando, nunc fingendo se aliis distentos negotiis. Et si quando aliquo iussu Superioris amendantur, vadunt velut coacti. Alij obedire malunt vni potius quam alteri, atq; si ego non essem in omnibus Superioribus. Sed illi liquidò demonstrat, quod non obediunt amore mei. Qui in obedientia Superioribus delata, respicit me, nullum discrimen inter Superiores facit, sed æqualiter obsequitur omnibus. O quantum halucinantur quoq; ij, qui nulla religione ducuntur, si voluntati Superiorum resistent in rebus spiritualibus, ut ieiuniis, precibus mortificationibus, & id genus aliis; nec enim inobedientia nomine suo destituitur in rebus piis & spiritualibus.

A L I I sunt, qui promptè obsecundant in negotiis inclinationi suæ & naturæ consentaneis; in cæteris, quæ non arident magnum sentiunt fastidium & repugnantiam.

Nemo

Nemo est, qui non agnoscat hanc imperfectam & miseram esse obedientiam, quia constat eam ex radice amoris proprii natam. Miseriam auget, quod cum tales illibenter & inniti obediunt, non solum meriti iacturam faciant, sed ob fastidium & nauseam difficiliorem obediendi actionem reddant. Deterrimum verò illud, quod obedientia, quæ debebat illis esse suauissimus cibus, ipsorum culpa vertatur in venenum amarum. Quisquis enim grauatur obedit, ordinariè murmurat, indignatur & offendiculum alii præbet, & loco præmij, quod mereri poterat, si æquo animo obedisset, vltro in caput suum arcessit pœnas.

FILII, optas liberari ab his ærumnis? excita in te efficax desiderium promptè & sincere deinceps obtemperandi, ac donum hoc postula ab eo qui dare potest. Deinde strenuè exerce te in omni obedientiæ genere, magnæ & parvæ. Et cogita eum magnam lucrispiritualis iacturam facere, qui ægre obedit. Qui vicinus est morti, & non libenter moritur, anctiorem mortem reddit. Sic qui obedientiam præstat, sed repugnante voluntate, plus se excruciat. Melius ergo est ex necessitate facere virtutem. Qui potest humeris ferre crucem, non trahat eam per terram.

R 2

Non

NONNULLI viam quidem obedientiae ingredi volunt, sed ea conditione, vt Superiorem præcedant, non sequantur. Atque ij sunt, qui cum animo propositum habent aliquod exercitium vel negotium, variis medijs Superiorem conantur in suam sententiam impellere, eaq; in re tam anxij sunt & solliciti, vt si voto eorum non fiat satis conturbentur. Neque hic sistit eorum imperfectio, sed præterea exercitio illi operam dare volunt, modo suo, non modo, quem Superior suggerit. Atque ita voluntas eorum antecedit voluntatem Superioris. Non ambulat securus, qui lumen fert à tergo. Superior est, qui lucem defert, quam tibi præbere debet, non tu illi; quare opus est, vt tu eum insequaris, non autem præcedas. Qui Superiorem traducit ad modum agendi suum, non quarit obedire illi, sed illum obedire sibi. Et qui conatur impellere Superiorem, vt velit quod ipse vult, inserit suam voluntatem voluntati Superioris: quocirca fructus illius non erunt fructus obedientiæ, sed propriæ voluntatis subditi, quos ille degustat, & non ego.

ALTERA proprietas huius secundi gradus est, vt Obedientia sit hilaris, quæ oritur ex priore. Qui enim obedit libenter, obedit
& hila-

& hilariter. Et qui inuitus obedit, obedit cū
mœrore. Mihi magis arridet parua obedi-
entia facta amore mei cum gaudio, quàm
magna facta cum tristitia. Qui non obedit
hilariter, declarat se non me diligere, quia
mihi displicet tristis obedientia. Accedit
quod onus suum aggrauat, sicut qui hilari-
ter obedit onus obedientiæ omninò alle-
uiat. O quanto in errore est, qui assuefacit
se ad tristem & cunctabundam obedientiã,
quia nec mihi, nec Superiori, nec suæ con-
scientiæ satisfacit, Ac paulatim tali obrepit
religiôsæ vitæ fastidium, & post fastidium
vitæ infelicitas. Qui enim suo statu conten-
tus non est, miser est & infelix.

TERTIA proprietas est, vt obedientia
sit feruens. Feruor nascitur ex amore, si di-
ligas obedientiam, nihil tibi mandabitur,
quod non hilariter & ardentè exequare.
Me non lateret, qui feruidè, & qui trepidè
mihi obediunt, & scio, qui maiori feruore &
studio mihi obsequi possint. O si religiosi
considerarent me in omnibus eorum actis
esse præsentem: atque etiam expenderent,
quam gratum mihi sit & iucundum videre
subditos gnauiter & ardentè mandatis Su-
periorum facere satis. Considerarent etiam
benedictiones, quibus tales obediētes præ-

R 3

uenio,

uenio, dubium siquidem non est, quin in obedientia praestanda magnoperè accenderentur. Fili, vbi nunc est ardor ille, quo conuersionis tuæ initio flagrabas? Vbi nunc desiderium ingens, quo postulabas tibi multa imperari etiam ardua? Potest nè fieri, vt quò notitiam huius rei maiorè es adeptus, hoc minus facias? Scholasticus, qui imperitior deprehenditur exeunte anno, quàm ineunte fuerit, meretur è schola exturbari, & ad abiectiùs vitæ genus detrudi.

De tertio Obedientia gradu pertinente ad intellectum.

CAPVT XXVII.

FILI, hic tertius & supremus Obedientiæ gradus attinens ad intellectum requirit, vt religiosus sentiat, iudicetq; id quod à Superiore decernitur esse melius: imò postulat, vt subditus nō habeat, neque aduersum, neq; diuersum iudiciū à iudicio Superioris. Diuersitas enim iudiciorū est causa inquietudinis & turbationis. Subditus qui voluntate duntaxat coniunctus est Superiori, inueniente minima occasione, quæ iudiciorū pariat discrepantiam, potest ab eo diuelli. at qui semel & voluntate & intelligentia

illi

illi est vnitus, non ita facilè diuellitur. Nam
intelligentia voluntatē docet, non esse con-
gruentem diuulsionē, etiam si nonnunquā
in exequenda obedientia subditi palato nō
omnia placeant. Dum autem & rationibus
probat rectè factum, quicquid à Superiore
ordinatum est, omninō voluntatem tran-
quillat Prodest quoq; hæc iudiciorum con-
iunctio atq; conformitas, ad perfectā exe-
cutionem eius quod mandatur. Qui non
modo vult, quod Superior vult, verū etiā
iudicat id faciendum, quod Superior præ-
scripserit, longè perfectius obedit, quā
qui sola voluntate mandatum Superioris
complectitur. Qui indiget calcaribus, plus
duobus iuuatur, quā vno & binæ ligulæ
fortiùs ligant vna.

DOMINE, non satis capio, quomodo
subditus possit iudicium suum conformare
Superiorum iudicio in omnibus, sicut po-
test conformare voluntatem. Nam cum vo-
luntas libera sit, in quamlibet partem potest
inflexi, at intellectus qui à veritate agnita
trahitur, & liber non est, non potest se infle-
ctere nisi in eam partem à qua stat veri-
tas. Vndè si intelligentia subditi ratione
aliqua conuicta, quæ rem tanquam ve-
ram repræsentet, in eam consentiat, Supe-
rioris

R +

rioris

rioris verò intelligentia diuersa omninò ratione conuicta, ab eadem re dissentiat, quae ratione subditus in hoc argumento poterit iudicium suum conformare, iudicio superioris, cum non possit intellectum à vero semel cognito reuocare? **FILII**, quod tu ais verum est, quando veritas cognita est explorata & euidentis: tunc enim intelligentia ita conuincit, vt in contrarium inflecti nequeat. Sed quando abest euidentia, potest intellectus à voluntate adiutus potius in vnam quam aliam partem inclinari: & tunc Obediens, ne erret, iudicium suum submittere debet iudicio Superioris, sicut ne erret voluntate, eam quoque voluntati Superioris subiicit. Neque, quia multi subditi aut actiori ingenio, aut maturiori iudicio praediti sunt, quàm fortè Superior, idcirco ab hac subiectione liberantur: quamdiu enim sunt membra, debent subiecta esse suo capiti. Atq; esto ijdem subditi nonnunquam maiori lumine ob scientias illustrati sint, tamen in gubernandi ratione maius lumen à Deo semper conceditur Superiori, quàm subditis, & ideo iudiciū illius anteferri debet aliorum iudiciis, magnique fieri, quippe cum ego eo vtar in administrandis conseruandisque religionibus.

Cæte:

CÆTERVM faciamus Superiorem non rectè aliquid imperasse (quod tamen cum peccato coniunctum non sit) an ideò subditus in parendo errat? Nequaquam. an meritò obedientiæ destituitur? nec hoc. Cur ergò non debet iudicium suum in omnibus submittere Superiori? Quando ego subiectus eram meæ matri, meoque nutritio Iosepho, obediebam promptè vtrique etiam in iis rebus, quas sciebam feliciorum exitum habituras, si aliter factæ fuissent. Subditi non est procurare, ut optimum sit, quod à Superiore mandatur, sed tantum in hoc incumbere, ut quicquid mandatum fuerit optimo modo exequatur, & sinat Superiorem ea præscribere, quæ ille optima iudicavit. Neque subditus ab exequendo Superioris mandato abstinere debet, etiam si certus sit, se melius facturum, si abstineat: nam subditus non est iudex, sed tantum executor eius quod mandatur, modo in exequendo absit peccatum. Hoc certè defectu laborant ij, qui volunt quidem à Superiore ordinari, quod conducibilius est, sed tamen illud præstare nolunt, cum tamen sint obligati.

O B E D I E N T I A M intellectus mihi esse gratissimam, dubium nullum est: cum vlti-

R s

mam

nam tribuat perfectionē holocausto; quod religiosus offert, dum cum voluntate offert simul intellectum & proprium iudiciū, quæ est facultas hominis nobilissima. Deindè omnibus notum est, quam vehementem natura ipsa homini indiderit propensionē ad sequendum proprium iudiciū: & tamen religiosus propensionem illam eousq; cohibet, ut amore mei spontè illud iudiciū subiciat alteri, quod ego maximi facio, & homini est valdè salutare: sic enim vitam agit tranquillā & vero germanoq; religioso convenientē. Cōtra verò, q̄ proprio nititur iudicio, nulla in re acquiescit, & vitā ducit inquietā.

Hic tertius Obedientiæ gradus duas habet proprietates. Prima dicitur simplicitas, quæ me in Superiore considerans, efficit, ut religiosus Superioris ordinatiōes, nullo antegresso examine, sintnè probandæ vel non, exequatur. O quā ingrata mihi est obediētia disputatrix, quæ simulatq; aliquid à Superiore constitutū est, sciscitatur quare, quo cōsilio, quo sine hoc sit decretū. Ego, non euocaui te ex mundo ad disputandū, vel examinandū ea quæ à Superioribus decernuntur, sed ad ea faciendā. Ut autē fiant, necessariū non est scire qua de causa, modo vel sine fiant. Tantū ergò inuigila præstandæ obedi-

entia,

entia, sicuti teneris; & scias ad subditum nō pertinere indagare, quem scopum Superiores in suis ordinationibus habeant præfixū. Si patriarcha Abraham à Domino Deo percūctatus fuisset, qua de causa sacrificare deberet filium suum Isaac, quo nitebantur benedictiones gentium, aliæque multæ promissiones ante factæ, non fuisset tantoperè laudata eius obedientia, nec tantū promeruisse, quantū simpliciter obediendo meruit. Verus obediens non aliud quærit, quā præstare quod imperatum est. O quantam apud me gratiam collegerunt ij religiosi, qui in Superiorum mandatis discutere noluerunt, essentnè vtilia vel inutilia, congruentia vel non congruentia, periculosa vel non. Vndè factum est, vt à Superiore iussi, etiam immanissimas feras, vt leænas ceperint, flumina ingressi sint, aridos truncos multo tempore irrigarint, & alia similia fecerint. Qui in terra illustra obedientiæ suæ reliquerunt exempla, & in cælo ob simplicitatem in obsequendo eximia consecuti sunt præmia. Fili, optas Deum suscipere peculiarem tutelā tui, vti suscepit sanctorum illorum Patrum? obedias cum simplicitate.

Altera proprietas est Humilitas, sine qua, nec obedientia, nec castitas, nec Paupertas
mihi

mihi placet Humilitas enim est obedientiæ mater, & altera sine altera cōsistere nequit. Superbus non vult se cuiquam subiicere. qui autem non se subiicit, non potest esse obediens. Superbia, quia subditum reuocat ab exequendis Superiorum mandatis, & meritum omne eripit, & auget afflictionem.

Epilogus de Obedientia religiosa.

CAPVT XXVIII.

FILII, perfecta obedientia requirit proprii abnegationem, integram voluntatis resignationem, & exactam mandatorum executionem. Verus obediens, non respicit personam imperantis, & cui ille obedit, sed in ea oculum coniicit in Deum, cuius amore obedit. Verus obediens, non desinit obedire, etiam si in modo imperandi sciat esse erratum. Nec resilit ab obedientia, si Superior sit imprudens, vel alij imperfectione obnoxius. Errat, qui idcirco obedit, vt à superiore magni fiat, vel vt aliquid ab eo obtineat; quia amore mei obediendum est. Verus obediens, quo tempore aliquid iubetur, non fugit, non latebras quærit, sed potius se ad iussa paratum offert. Verus obediens nihil pensi habet, sitnè à primario superiore

periore vel subordinato, hoc vel illud ordinatum, sed pari promptitudine vtriusque mandata excipit. Qui mauult in vna potius quam in alia re parere, non meretur nomen veri obedientis. Qui libentiùs vni quam alteri Superiori obedit, non est perfectus obediens. Qui procurat sibi imperari quod optat, potius perdit, quam lucretur. Verus obediens non explorat quare vel quomodo hoc vel illud sit iniunctum, sed satis est ei, scire esse iniunctum. Perfectus obediens, vt obedientiam perfectam faciat, relinquit opera sua imperfecta. Qui parer Superiori, quia prudens est, beneuolus, spiritualis, dexter, liberalis, hallucinatur, quia obediendū est illi tantum, quia vices meas gerit. Imagini meæ nõ exhibetur reuerentia, propter aurum & argentum ex quo conflata est, sed quia me repræsentedat. Vndè æquè illi honor exhibetur, si è charta vel ligno confecta sit, ac si ex auro vel argento. Haud secus Superiori honor omnis & obedientia deferri

debet, non ob virtutes quibus præditus est, sed quia vices meas gerit, & me repræsentedat.

FINIS

LIBER.